This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lc
40
H42

Lc 40.442

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Le 40.442

QUAESTIONES CRITICAE

IN

CICERONIS ORATIONES PHILIPPICAS

SCRIPSIT

PAULUS LUTZ

ALSATA

SCHLETTSTADT
TYPIS EXPRESSIT PAULUS RUGRAFF
MCMV

RICARDO REITZENSTEIN

BRUNONI KEIL

PRAECEPTORIBUS. CLARISSIMIS

S.

QUAESTIONES CRITICAE

IN

CICERONIS ORATIONES PHILIPPICAS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS LUTZ

ALSATA

SCHLETTSTADT

TYPIS EXPRESSIT PAULUS RUGRAFF

MCMV

Lc 40.442

Harvard College Library
AUG 9 1907
From the University
by exchange

Von der philosophischen Fakultät genehmigt

am 15. Juli 1905.

Praefatio.

Si quis meminerit, quam enixe Halmii, Muelleri, Clarcii orationum Philippicarum recensioni et emendationi studuerint operamque navarint, is denuo de eadem materia agere superfluum esse iudicet. Sed idem mihi concedet multis in rebus iudicia horum virorum neque in consensum abisse et de non paucis locis atque quaestionibus mansisse dissensum. Quae cum ita sint, equidem aliquid temporis in orationibus perlustrandis consumpsi, quod munus eo libentius aggressus sum, quod is, qui nuper orationes edidit, Alb. Curt. Clarcius novis libris adhibitis laborem meum sublevavit.

In edendis orationibus Philippicis duo librorum genera nobis praesto sunt. Ab altera parte stat Vaticanus liber *(V)*, qui continet oratt. I—XI § 22; or. XII §§ 12—23; or. XIII §§ 1—10; ab altera parte sunt ceteri libri omnes, ex quibus Halmius maxime quattuor adhibuit *(a:* Bamberg.; *b:* Bernens.; *g:* Gudianum; *t:* Tegerns.) Qui libri Halmio auctore littera *D* significantur. Clarcius in recensione praeterea codd. Vossiano *(n)* et Regio *(l)* usus in oratt. I—IV duos Parisinos et Berolinensem contulit, quos libros littera *c* comprehendit, quique eiusdem familiae sunt atque libri Halmiani. In iis partibus denique, quae aut in *V* aut in *D* desiderantur, et in extrema orationum parte, cum magna librorum inopia sit, Oxoniensis *(o)* et Harleianus *(h)* nobis praesto sunt.

Quibus in libris fundamentum lectionis constituendae positum est. Atque cum duo librorum genera discernantur, apparet criticam harum orationum tractationem in eo maxime versari, ut, utra sequenda sit familia, constituatur. Carolus Halmius quidem, Wernsdorfio praeeunte [1]), sibi persuaserat inter libros nostros cod. Vaticanum longe eminere et principem locum obtinere, ita, ut etiam tum, cum codd. *D* probabilem lectionem exhiberent, in Vaticano corruptela latere videretur,

[1]) Ciceronis Oratt. Phil. in Antonium ed. Wernsdorf. 1821. Vol. I. pagg. IV. V.

conicere et emendare quam illis libris aliquid auctoritatis tribuere mallet. Verum post eum exstitit C. F. W. Muellerus, qui libros familiae *D* pluris aestimandos esse censet. *„Sed tamen"* [1]) inquit *„optimum codicem non ita praestare deterioribus, ut horum sit nulla auctoritas, in his oratt. multo manifestius est quam in Sestiana aliisque."* Sed nihilo minus magnam partem Halmii vestigia persecutus nisi perpaucis locis lectionem deteriorum librorum quasi in ordinem sibi recipiendam non putat. Primus Alb. Curt. Clarcius, qui ante quattuor annos orationes edidit, permultis locis scripturam codd. *D* contra Vaticani auctoritatem non modo defendit, verum etiam anteposuit. Quod quam recte fecerit, subdifficilis oritur quaestio, quam ut absolvam, hac via progredi mihi liceat: proponamus ex oratt. I—VIII exempla selecta simulque artem criticam exercentes indagemus, utrum lectio Vaticani an familiae D anteponenda sit (Cap. I). In quo adparebit Clarcium non solum rectam viam instituisse, sed ei multo longius progrediendum fuisse in scripturis codd. *D* si non recipiendis at tamen pluris aestimandis, quamquam Zielinskius asseverat [2]) *„viel geringer ist die Ausbeute für die philippischen Reden; dass jetzt die Klasse D dank den Bemühungen des Herausgebers reicher und besser vertreten ist, hat für die Konstitution des Textes, soweit ich mich habe überzeugen können, kein nennenswertes Ergebnis geliefert."* [3]) Altero capite accedent ad sententiam nostram comprobandam alia testimonia: critica ut aiunt horum librorum historia, quae ex scriptorum testimoniis innotescit, deinde forma atque species ipsius Vaticani codicis. Appendice denique componentur, quae ex his orationibus apud alios scriptores excerpta leguntur. Tertio opusculi capite nonnullis locis corruptis medelam affere conabor.

[1]) Praef. Vol. II. 3. pag. 99.

[2]) Deutsche Lit.-Ztg. 1901 pag. 1556.

[3]) Similiter iudicat Landgrafius (Burs. Jahrb. 190[2]) *„wie für die Caesarianae, so hat Clark für die philippischen Reden neue Handschriften beigezogen ohne wesentlichen Einfluss auf die Textgestaltung.*

Caput I.

Orat. I. § 14.

Clarcius locum sic edidit „non modo voce nemo L. Pisoni consula*ri*, sed ne voltu quidem adsensus est."

Ad quod Hirschfelderus adnotat [1]) *„wir erfahren aus der Nachprüfung des Vaticanus für mehrere Stellen, dass „consulari" zu lesen ist, das der Zusammenhang erfordert, bisher aber nur eine der geringeren Handschriften bot."* Sed quaeramus, num *consulari* circuitu verborum consequentiaque sententiarum efflagitetur. Minime, credo, cum singulae sententiae se excipere et inter se cohaerere debeant. Cum enim legimus „sed ne unus modo consularis" vel „idcircone nos populus Romanus consules fecit" facere non possumus, quin sine ulla audacia statuamus veram esse lectionem *consularis*, quam a parte codd. D exhiberi Clarcius adfirmat. [2]) Maxime autem sequentibus verbis scriptura *consularis* fulcitur. Cicero enim pergit „ego hoc si non ab omnibus eis desidero, qui sententiam consulari loco dicunt, at tamen a compluribus, a nonnullis." Quae cum ita sint, nesesse est antecedat „nemo . . . *consularis.*" Atque si quis in collocatione haereat, is conferat hosce duos locos:

[1]) Wochenschrift für klass. Phil. 1901. Nr. 27.

[2]) Alteram partem codd. D (sunt: c n_1) item exhibere *consulari* ad rem nihil valet. Tales enim corruptelae saepissime in libris inveniuntur. Ex oratt. Philipp. conferre licet I. § 5: suis similibus (pro: su*i* si*m*ilibus, Similiter res se habet or. II. 2, or. III. 18.

Epist. ad Fam. X. 6. 3 „complures in perturbatione rei publicae consules dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rem publicam *consulari*."

Or. in Pis. § 10 „an potest ulla esse excusatio non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo rei publicae motu . . . *consuli*?"

Iam ex duobus exemplis allatis cognosces in illa quamvis insolita collocatione verborum omnem vim gravitatemque orationis inesse.

Orat. I. § 31.

Quae post ipsam Caesaris mortem Romae facta sint, Cicero significat hisce verbis

„Tu autem, M. Antoni (absentem enim appello) unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus his mensibus, quibus te quidam multum a me dissentientes beatum putant, anteponis? Quae fuit oratio de concordia! Quanto metu, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est, cum collegam tuum depositis inimicitiis oblitus auspiciorum a te ipso augure populi Romani nuntiatorum illo primum die conlegam tibi esse voluisti; tuus parvus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit."

Sic omnes recentiores editores scribi iubent. Sed iam Muretus humanista et post eum Orellius sentiebat lectione Vaticani „*cum* collegam *tuum* . . . voluisti" recepta sententiarum continuationem nimis longam fieri. Quod autem exspectamus non est periodus, sed cursus verborum sententiarumque primarum consequentia. Atque ad id optime convenit, quod in nonnullis aut potius in omnibus libris familiae D exstat [1]) „*tu* collegam . . . voluisti." Quomodo enim sententiae decurrere debeant, patet ex simillimis locis. Cui non illius laudationis philosophiae in mentem venit, dico Tusc. Disp. V, 5 „o vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix

[1]) *tum* collegam: t; *tu* collegam: c; *tuum* collegam: In.

expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? *Tu* urbes peperisti, *tu* dissipatos homines in societatem vitae convocasti, *tu* eos . . . iunxisti, *tu* inventrix legum, *tu* magistra morum et disciplinae fuisti."

Quo exemplo collato codd. D veram lectionem servavisse videntur.

Sed locus altera ratione maximi momenti est. Non laboro, num Ernestius pro corrupto *veterani* recte *senatus* mutarit;[1]) aliud mea interest. Apud omnes enim editores Faërni auctoritatem secutos[2]) legere potes „oblitus auspic*iorum a te* ipso augure *populi Romani* nuntia*torum.*" Libri praebent hoc:

auspicio*rum a* te ipso augure pronunti*ate:* V.[1] (-ante: V[2])
auspicia *te* ipso augure nunti*ante:* D.

Sermonem „auspicia nuntiare," quamquam nullo alio loco apud Ciceronem invenitur, huic tamen optime convenire facile concedo, cum Livius aliique scriptores illo quasi termino technico utantur.[3]) Fateor etiam in „*pro*nuntiante" Vaticani libri latere posse *populi Romani,* quod in codd. D intercidebat, quia „populus Romanus" aeque atque „res publica" compendio scriptum erat et talia codices persaepissime omittunt. Sed aliud in dubium voco. Videamus enim codices! In D exstat „nunti*ante*," in V: [p. r.] nunti*ate*. Quae lectiones inter se tam similes sunt, ut sine ulla audacia in aequo ponendae sint. Atque hoc quaero, utrum verisimilius sit librarios codicum D scripturam excogitavisse an in his libris nihil exstare nisi scribae mendum. Equidem hoc credi-

---

[1]) *veterani* post *metu* add. codd. *(vetere:* l; *cetera:* n.) Alius aliud coniecit. *veterum malorum:* Halm. *veteranorum:* O. Schmidt. *viri boni:* Clar cius. *senatus:* Ernesti. Si quid desideretur, hic sequendus sit, nisi cum Manutio *veterani* delere malis. Equidem hoc antepono. Cicero adfert primum *civitas,* deinde *civitatem* dividit in *senatum* et *populum R.*

[2]) Conf. Wernsd. I. pagg. 96, 97.

[3]) Livius X. 40 „ceterum, qui auspicio adest, si quid falsi *nuntiat.*" XXXII. 9 „cum taetra prodigia *nuntiata* sunt,"

derim. Quo concesso vix negandum erit scribendum esse *nuntiata.* Tum autem inter omnes constabit recipiendum esse ex D *auspicia,* et locum sic edendum „auspi*cia (a) te* ipso augure p. R. nunti*ata.*"

Etsi enim Cicero „oblivisci" cum quarto casu raro coniungit, inveniuntur tamen exempla praesertim in orationibus huius aetatis. Sic legitur in orat. pr. Mil. § 62 „an vero obliti estis . . . sermo*nes* et opinio*nes?*"

Orat. II. § 52.

„Quid cupide a senatu, quid temere fiebat, cum tu unus adulescens universum ordinem decernere de salute rei publicae prohibuisti *neque semel* sed saepius." Sic Clarcius ceterique editores ex Vaticano. Ut autem apparet ex § 67 huius orationis „totos dies potabatur *atque id* locis pluribus" haud scio an cum codd. D scribendum sit *„neque id semel* sed saepius." Similiter invenies or. in Pis. § 75 „complecti vis amplissimos viros ad tuum et Gabinii scelus *neque id* occulte."

Orat. II. § 64.

Caesar Alexandrea se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur, mea autem sententia, qui rei publicae sit *infelix, felix* esse nemo potest."

Sic codd. D. Vaticanus exhibet pro „infelix" *hostis* omnesque editores praeter Clarcium eum sequuntur, sed, ut opinor, summa iniuria. Quaerendum est enim, quibus rebus commoti librarii codicum familiae D ad eam scripturam pervenerint. Quid? Illis hanc, ut ita dicam, illustrem verborum annominationem debebimus? Vix mihi persuadebis, ut id credam, immo equidem non dubito, quin librarius Vaticani archetypi scripturam suam excogitaverit exemplis his haud scio an collatis: or. Phil. II. § 2 „non exististimavit sui

similibus probari posse se esse *hostem* patriae" vel or. in Cat. IV. § 10 „qui autem rei publicae sit *hostis,* eum civem esse nullo modo posse (C. Caesar intellegit).

Huc accedit, quod alio loco oratoris annominatio verborum in Vaticano sive casu sive de industria deletur. Exstant enim or. II. § 25 in V haec „praevicatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus *ornaret,* sed etiam alienis." Sed quam longe aliter fluit oratio, si codd. D secuti legimus „qui me non solum meis laudibus *ornaret*, sed etiam *oneraret* alienis."

Tales verborum annominationes apud Ciceronem [1]) aliosque auctores persaepe inveniuntur [2]) neque desunt, quibus demonstretur librarios audacter talia pro suo arbitrio non modo correxisse, sed etiam delevisse. Satis erit unum atque dilucidum exemplum proferre. In ora pro Sex. Rosc. Am. § 112 traditur „suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse. Quod minime *grave* videtur iis, qui minime ipsi *leves* sunt." Locus autem sic restituendus est „quod minime *leve* videtur iis, qui minime ipsi *leves* sunt." [3])

Orat. II. § 68.

Antonius rebus Pompei sectione sibi paratis in domo eius turpissima quaeque commisit. Quod inultum fore Cicero negat

> „nec vero te umquam neque vigilantem neque in somnis credo posse mente consistere. Necesse est, quamvis sis, ut es, vi*olentus et furens,* cum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem."

---

[1]) Conf. Frag. Pis. VIII. „quod minimum specimen ingenii; ingenii autem? immo ingenui hominis ac liberi."

[2]) Conf. Arch. f. Lex. 1886 pag. 456.

[3]) Conf. Landgrafium ad hunc locum.

Violentus et furens Clarcius ex Vaticano edidit; alii editores partem codd. D sequuntur et legi iubent *vinulentus et furens* mea quidem sententia optimo iure. Nam primum quidem *violentus* et *vinulentus* persaepe inter se confunduntur, tum lectio partis codd. D auctoritate similium locorum nititur: or. Phil. II. § 101 „quid prandiorum apparatus, quid *furiosam vinulentiam* proferam?" or. Phil. VI. § 4 „semper eo tractus est, quo libido rapuit, quo levitas, quo *furor,* quo *vinulentia.*" Valde autem illi lectioni *vinulentus et furens* suffragantur, quae leguntur alio loco. Cicero enim, postquam primam orationem in Antonium habuit, de hac et quae sequebantur, ad Cornificium [1]) scripsit „in patriam omni festinatione properavi postridieque in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret omnemque suum *vinolentum furorem* in me unum effunderet." Quo loco comparato mihi quidem constat editores, qui codd. D secuti sunt, recte fecisse.

Orat. II. § 110.

„O detestabilem hominem sive [eo] quod *Caesaris* sacerdos es sive quod mortui!"

Sic Vaticanus tradit; contra exhibent codd. D pro Caesaris *„tyranni."* Halmius et Muellerus Vaticani lectionem tuentur, cum adnotant *„so der Vaticanus; die geringeren Handschriften haben dafür das Glossem „tyranni."* Clarcius vetustioribus editoribus monentibus [2]) artissime se codd. D adiungit. Recte quidem, ut opinor. Conferamus enim or. I. § 13. Quo loco Cicero M. Iunium Brutum cum Caesare comparat hisce verbis „an me censetis, patres conscripti . . . decreturum fuisse, ut decernerentur supplicationes mortuo? Nihil dico cui; fuerit ille Brutus, qui et ipse dominatu regio rem publicam liberavit et . . . stirpem propagavit, adduci

[1]) *Epist. ad. Fam. XII. 25*$_3$.

[2]) Garatonio et Klotzio.

tamen non possem, ut quemquam mortuum coniungerem cum deorum inmortalium religione." Quem locum si accuratius inspexeris, mihi concedes illis verbis *nihil dico cui* cum eis Brutus *patriae liberator* opponatur, re vera non *Caesarem,* sed *tyrannum* significari. Quod autem Cicero eo loco quasi tectis verbis indicat, hoc loco coram omnibus libere dicit atque profitetur. Etiam aliud monuerim! Exspectare possumus atque debemus Ciceronem, ut in verbis robur et gravitas insit, a minore ad maius progredi. Quod nobis postulantibus et exspectantibus scriptura Vaticani minime satis facit, cum nomen Caesaris antecedat. Quae cum ita sint *tyranni* vera lectio est, *Caesaris* est glossa ad *tyranni* a quodam interprete adiecta.

In eadem paragrapho altera difficultas exstat. „An supplicationes addendo diem contaminari passus es, pulvinaria *contaminari* noluisti?"

Alterum *contaminari* a D omittitur. Halmius et Muellerus vocem recipiunt, Clarcius aliique veterioribus praeeuntibus delendam esse censent inde scilicet sententiam commendantes, quod eiusdem verbi repetitio in spatio tam exiguo aures offendat. Quae si una est causa, cur viri doctissimi vocem deleant, equidem sequi non possum, cum tales verborum iterationes etiam tum, cum Cicero non more oratorio dicit, in orationibus aliisque scriptis inveniantur. Cuius modi exempla et C. F. W. Muellerus et Landgrafius permulta collegit. [1]) Quae cum ita sint, aliud mea sententia ad rem diiudicandam momentum adferre debet, dico genus codd. D Talia enim delere non est ingenii huius familiae librariorum, immo, cum libros accuratius inspexeris, cognosces illos librarios libenter aliquid addidisse, ut oratoris verba explicarent. Talia exempla in omni fere oratione invenies, ut mihi concedas verisimilius esse in Vaticano glossema exstare quam in D vocem sive casu intercidisse sive de consulto deletam esse.

---

[1]) Ad orat. pr. Sex. Rosc. Am. § 99.

Orat. III. § 1.

Initio orationis tertiae in omnibus editionibus Lambino auctore sic legimus „serius omnino, patres conscripti, quam tempus rei publicae postulabat, aliquando tamen convocati sumus."

Vaticanus exhibet: postula*batuit;* codd. D: postul*avit.*

Adfirmare atque dicere *postulavit* lectionem unice veram esse nemo potest. [1]) Obstat enim, ut exemplo utamur or. Phil. VIII. § 1 „confusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postul*abat* institutum consulatus tui." Sunt tamen duae res, quibus, ut illam scripturam anteponam, commovear. Atque primum quidem Cicero or. Phil. V. § 30 denuo de eadem re iisdem fere verbis loquitur „quo die primum convocati sumus, cum designati consules non adessent, ieci sententia mea maximo vestro consensu fundamentum rei publicae, *serius* omnino *quam decuit.*" Deinde Cicero post sermonem *serius quam* quantum scio, utique perfecto tempore usus est. Sunt autem loci hi: or. Phil. VI. § 19 „venit tempus, Quirites, *serius* omnio *quam* dignum populo Romano *fuit,*" or. Phil. X. § 19 „*serius* populo Romano hunc vestitum dedimus *quam* ab eo flagita*ti sumus.*" Epist. ad Fam. XV. 1. § 4. „magno opere vos et hortor et moneo, ut his provinciis *serius* vos quidem, *quam decuit,* sed aliquando tamen consulatis."

Orat. III. § 8.

D. Brutus pollicetur „se provinciam Galliam retenturum in senatus populique Romani potesta*te.*" Sic ex Vaticano editur; atque ferri posse facile concedo. Sed videndum erit, num potesta*tem* codd. D tam temere spernendum sit. Inter omnes enim constat ex Gellio [2]) efficere licere etiam Cice-

[1]) H. Nohl recepit *postulavit.*

[2]) Noct. Att. I. 7. 16.

ronis aetate consuetudinem dicendi parum sibi constitisse. Miramur autem hos libros item exhibere or. Phil. XII. § 4. „ne si in senatus quidem potestate*m* futurum se dixerit."

Orat. III. § 25.

„Qui enim periculo carere possumus in tanta hominum cupiditate et audacia?"

Sic Vaticanus. Sed quod in D exstat *metu et periculo* nescio an optimo iure scribi possit. Quid? nonne in Vaticano permultis locis verba interciderunt? [1]) non verborum complexio *metus et periculum* fere sollemnis est apud auctores orationis solutæ? Ipse Cicero in or. Phil. VII. § 27 dicit „potes in perpetuum rem publicam *metu et periculo* liberare." Ex ceteris orationibus addo haec exempla: Verr. I. § 47 „nunc tamen in *metu periculoque* tuo tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Sest. § 17 „in illo summo *timore ac periculo* civitatis." ibd. § 35 „cum . . . alii *metu et periculo* tenerentur." or. pr. Quinct. § 59 „diutius in tanto *metu* miser *periculoque* vexabitur?" pr. Mur. § 52 „cum in *metu et periculo* consulem viderent."

Orat. III. § 32.

„A tergo, fronte, lateribus tenebitur, si in Galliam venerit."

Contra Vaticani auctoritatem totius loci structura postulatur, ut lectio codd. D „*a* tergo, *a* fronte, *a* lateribus", recipiatur. [2])

Idem locus altera ratione permultum contribuit ad codices familiae D recte aestimandos. Traditur enim his

---

[1]) De qua re brevi copiosius dicendum erit.

[2]) *a*lteribus: V_1, an cum D consentiens?

libris „*tenetur,* si in Galliam *venerit*"; contra Vaticanus exhibet „*tenebitur, si . . . venerit,*" quam scripturam omnes editores a Faërno Garatonioque usque ad nostram aetatem unice veram laudaverunt et receperunt. Sed quaeramus, nonne lectio codd. D non modo ferri possit, sed etiam optimum sensum praebeat, qui gravitate verborum dignior sit. „*Wenn in der lateinischen Sprache,*" inquit Kuehnerus, [1]) „*das Praesens an Stelle des Futurs gebraucht wird, so hat dies einen gewissen Grund, indem der Redende das noch in der Zukunft Liegende entweder in der Lebhaftigkeit der Auffassung oder in der festen Überzeugung von dem Eintreten desselben als ein schon Gegenwärtiges anschaut.*" Sic iudicat doctissimus vir, quem Riemannus-Gœlzer [2]) sequuntur dicentes „*quelquefois en Grec et en Latin, la proposition principale est au présent et la conditionelle au futur. En ce cas, le présent marque que le fait exprimé dans la proposition principale est une conséquence immediate de la proposition conditionelle.*" Quae viri clarissimi exposuerunt, mirum in modum scripturae codd. D suffragantur. Atque cum conferimus: Plaut. [3]) Rud. vers. 168 „salvae *sunt,* si illos fluctus devitaver*int*" vel Pœn. vers. 671 „rex *sum,* si ego illum hodie ad me adle*xero*;" vel ex ipsis or. Phil. XII. § 25: *possum*ne igitur satis videri cautus, satis providus, si me huic itineri tam infesto tamque periculoso commi*sero*" non prorsus a veritate aberrare videmur statuentes illam lectionem codd. D Cicerone oratore vel digniorem esse.

Orat. III. § 38.

Clarcius ex Vaticano edidit „quodque provinciam Galliam citeriorem optimorum et fortissimorum amicissimorumque rei publicae civium exercitumque in senatus potestate retineat."

Codd. D exibent: optimorum *virorum* et fortissimorum: c; optimorum et fortissimorum *virorum:* Int.

---

[1]) Lat. Gr. II. pag. 90.

[2]) Gr. Comp. du Grec et Lat. Vol. II. pag. 256 not. II.

[3]) ed. Leo.

Quaeritur, num *virorum* ex codd. D recipiendum sit. C. F. W. Muellerus vocem in textum recepit, sed uncis inclusit. Halmius ad locum adnotat „*virorum*“ *invectum est aut ex orat. Phil. III. 6 aut IV. 6.*“ Apparet quantum Halmius, ille vir doctissimus Vaticano libro tribuerit, quem recentiorum editorum plerique sequuntur. Sed iam per se non recte intellegitur, quid copia verborum ad unam vocem *civium* adpositorum sibi velit. Quid? nonne illa orationis forma valde displicebit? Tum ex illis ipsis locis, quibus Halmius ad originem glossematis demonstrandam utitur, vocem nullo modo deesse posse apparet. Sunt autem loci: or. Phil. III § 6 „quam potuit eligere urbem aut opportuniorem ad res gerendas aut fideliorem aut fortiorum *virorum* aut amiciorum rei publicae *civium?*“ or. Phil. IV. § 6 „Albae constiterunt, in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum *virorum*, fidelissimorum *civium* atque optimorum.“ Ex quo exemplo intellegitur, quo *virorum* ponendum sit. Optimum esse puto cum H. Nohl codd. c sequi.[1]) Confer etiam or. Cat. II. § 20. „quas ⟨colonias⟩ ego universas *civium* esse optimorum et fortissimorum *virorum* sentio.“ or. in. Pis. § 25 „nam haec quidem ⟨Capua⟩, quae nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum *virorum* optimorum *civium* mihique amicissimorum multitudine redundat.“

Orat. III. § 39.

Cicero censet „et quod pari consilio eademque virtute legio quarta usa, L. Egnatuleio duce quaestore optimo, civi egregio, senatus auctoritatem populique Romani libertatem defendat ac defenderit.“

Quae proposui, Clarcius Mureta humanista auctore edidit. Halmius exspectat „L. Egnatuleio *duce, civi egregio,*“ Muellerus et Nohlius, Garatonium secuti „L. Egnat. *quaestore duce, civi egregio.*“

---

[1]) Wernsdorfius aliique multi codd. Int secuti sunt.

Sed videamus primum libros! V tradit: L. Egn. *que opti egregio mo;* D: L. Egn. *duce civi egregio.* Cum Vaticani lectionem contemplamur, offendimus credo, in illo *opti* egregio *mo.* Quid tandem illa vocis *optimo* distributione partium demonstratur? Quid aliud nisi hoc Vaticani archetypum habuisse egregio vel *optimo*? ut per se pateat absurdum esse duas *(egregio* et *optimo)* lectiones in textum recipere. [1])

optimo egregio

Atque si ex me quaeres, unde illa Vaticani scriptura nasci potuerit, velim conferas or. Phil. III. § 7 „huius legionis virtutem imitata quarta legio duce L. Egnatuleio quaestore, civi optimo et fortissimo, C. Caesaris auctoritatem atque exercitumpersecuta est." L. Egnatuleius quaestor ergo dux legionis quartae erat; qua re legio quarta rem publicam L. Egnatuleio *quaestore duce* defendit. Sic autem codd. D exhibent; nam *quaestore* intercidisse nemo mirabitur, cum adfero Muelleri [2]) verba *„taedet enumerare sescentos locos, quibus hoc volumine ea re, quod res publica; pop. Rom; praetor; quaestor; trib. pl; patres conscripti; Quirites singulis binisve litteris scribi solebant, errores nati sunt."* Accedit aliud! Publico sermone postulatur, ut dignitas L. Egnatulei indicetur, sed post ipsum nomen; deinde *duce* absolute adponendum erit. Quo concesso res in discrimen adducta est: cognovimus altera parte codd. D fidem praestitisse; num altera parte fallaces erunt? Quod equidem negaverim, immo licet suspicari librarium archetypi Vaticani illo loco (III. 7) collato commotum supra genuinam lectionem *civi egregio* scripsisse *optimo,* in Vaticano, qualis nobis praesto est, deinde casu *civi* deletum esse. Quae cum ita sint, equidem Muellerum aut potius codd. D sequens locum sic edam „L. Egnatuleio *quaestore duce, civi egregio."*

---

[1]) Tales lectiones non aliter se habent quam hæc:
or. Phil. II. § 59. in *essedo:* V; in *esse* genus vehiculi *do:* cod. Teg.
or. Phil. II. § 68. os impurissimum *osten* importunissimum *dere:* V; import.: D. [2]) Vol. II. 3. pag. XIX.

Orat. IV. § 1.

Ex Vaticano editur „Frequentia vestrum incredibilis, Quirites, contioque tanta, quantam meminisse non videor, et alacritatem mihi summam defendendae rei publicae adfert et spem recuperandae."

Sed quid est lenius quam scribere, ut in D traditur „spem recuperandae *libertatis*." Nam Ciceronis proprium est in talibus sententiis quasi eniti, ut oratio sic constructa sit, ut par pari reddatur vel respondeat. Satis erit duo exempla proferre: or. Phil. V. § 1 „non modo *salutis conservandae*, verum etiam *dignitatis* pristinae *reciperandae*." De Leg. Agr. I. § 17 „ut, cum totam Italiam militibus suis occuparint, nobis non modo *dignitatis retinendae*, sed ne *libertatis* quidem r*ecuperandae* spes relinquatur."

Orat. V. § 6.

Clarcius sic edidit „agitur, utrum M. Antonio facultas detur opprimendae rei publicae, caedis faciendae bonorum, urbis, agrorum suis latronibus condonandi, populum Romanum servitute opprimendi, an horum ei facere nihil liceat."

Quo loco exstat difficultas summi momenti ac ponderis. Videamus, quid codices exhibeant. Vaticanus tradit: *urbis eruendorum agrorum condonandi [urbis eruen* m_2 in ras.]; *diripiendorum*
D: *eripiendorum* (l: *deprimendorum) urbis agrorum.* Vaticani lectionem defendi non posse inter omnes editores constat. Halmius coniecit *urbis diripiendae* vel *urbis partiendae*, quod editores recentiores magnam partem receperunt (sic Klotzius, Muellerus alii.) Sed recte Clarcius monet [1]) „these are violent emendations." Idem, ut oratoris verba restituantur, aliam viam instituit. Ratiocinatio doctissimi viri haec fere est „*urbs* et *agri* tam arte inter se coniuncta sunt, ut verba

[1]) Cl. Rev. 1900. pag. 405.

quasi unum significent aeque atque *urbs et Italia* in or. Phil. XIII. § 42; „optimi cuiusque caedis, *urbis et Italiae* partitionis, vastandarum diripiendarumque provinciarum"; et ibidem § 47: „caedes bonorum, *urbis Italiaeque* partitio"; *eripiendorum* ut glossema delendum locusque sic emendandus est: *urbis agrorum* suis latronibus condonandi." Equidem ad hanc sententiam accedere non possum. Frustra enim Ciceronis scripta perlustravi, num forte alio loco huius constructionis exemplum occurrat; non inveni neque ceteri auctores orationis solutae eam constructionem adhibuisse videntur.

Quæ cum ita sint, aliud indagare meum est. Atque ne pluribus verbis utar: editores mihi temerius librorum auctoritatem, praesertim codd. D sprevisse videntur. Habuit V: ////*dorum agrorum suis latronibus condonandi,* ubi apparet deesse obiectum verbi *condonandi.* Deinde V_2 et D concinunt, nisi quod *urbis* locum mutavit in V_2, retinuit in D. Inde colligo *eripiendorum* agrorum [1]) vel *diripiendorum* vel, si spatium in V obvium respicis, „*distribuendorum* agrorum, *urbis* suis latronibus condonande *(-ae),* popul*i* Roman*i* servitute opprimen*di.*"

Codices D igitur etiam hoc loco veram lectionem servaverunt, nisi quod *urbis* nescio quo errore in falsum locum irrepsit.

Orat. V. § 25.

Cicero Antonium cum Hannibale comparat „totum iter Antoniorum, quid habuit nisi depopulationes, vastationes, caedes, rapinas? quas non faciebat Hannibal, quia multum ad usum suum reservabat, at hi, qui in horam viverent, non modo de fortunis et de bonis civium, sed ne de utilitate quidem sua cogitaverunt."

[1]) *Eripere* et *eruere* facile ex eodem verbo profluere potuit. Vide Hor. Sat. I. 4. vers. 25 „quem vis media elige turba." „*Elige* haben die meisten Handschriften, auch ein Blandinier und der Gothanus; andere *erue,* drei Blandinier und einige wenige *eripe.*" (Luc. Mueller).

Quas non faciebat omnes editores a Carolo Halmio usque ad Clarcium Vaticani auctoritatem sequentes legere nos iubent. Contra exhibent codd. D *quae non faciebat.* Verisimile non est viros doctissimos lectionem illorum codicum ut legibus grammaticis minime respondentem reiecisse. Conferri enim licet: Cic. De Nat. Deor. III. 24 „fortunam nemo ab inconstantia et temeritate seiunget, *quae* digna certe non sunt deo" vel Sall. Cat. Cap. 31. § 1 „ex summa laetitia atque lascivia, *quae* diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit." Quae cum ita sint atque *quae* optime legibus grammaticis defendi possit, circumspiciendum est, utra lectio vera sit. Atque ut res in discrimen vocetur, proficiscendum est a sequentibus verbis *at hi, qui in horam viverent . . . cogitaverunt.* Quod attuli ex coniectura Naugeri editur. Sed videamus codices. Vaticanus exhibet *haec qui . . . viverent;* Int: *haec ii qui;* ag: *haec hi qui;* b: *et hi qui.* Quamquam codices inter se discrepare videntur,[1]) tamen optimo iure, cum codicis b scriptor non parva usus sit licentia, dici potest omnes libros exhibere *haec.* Qua re perspecta equidem dubito vocem mutare aut delere. Si autem recte explicaverimus, nobis nulla mora interposita cum aliquot libris fam. D scribendum esse *haec ii* concedes, ut iam Garatonius monuit. Hac autem lectione recepta altera difficultas nascitur; claudicat enim oratio. Sed facile illa difficultas sublevatur, cum voculam *cum* post *qui* supplemus, quam persaepe intercidisse non mirabimur. Legendum est igitur: *haec ii, qui cum* in horam viverent . . . cogitaverunt.

Sed redeamus ad id, quod supra distulimus. Ex eisdem rebus, quas modo exposui apparere videtur etiam priore parte enuntiati codd. D genuinam lectionem „*quae* non faciebat Hannibal, quia e. q. s." servavisse, cum *haec* et *quae* invicem se fulciant.

---

[1]) Conf. or. Phil. VIII. § 25. ferre*i:* V; ferre*ti:* t; ferre*t ii:* In ferr *hii:* b.

Orat. V. § 30.

Cicero vehementer a sententia Caleni, qui ad Antonium legatos de pace mittendos censuerat, dissentit atque legatos mittendos esse negat „teretur interea tempus, belli apparatus refrigescent; unde est adhuc bellum tractum nisi ex retardatione et mora?"

Quae proposui, Vaticanus tradit; codd. D omittunt omnes *tractum*. Tamen editores, quantum video, *tractum* in textum recipiunt, nihil laborantes, quod iam Cobetius Vaticani lectionem si non absurdam, at tamen ut minime aptam neque quicquam huic loco convenientem reiecit.[1]) Quid enim significet *bellum trahere* patet optime ex his locis: Epist. ad. Att. X. 8$_2$ „necesse est enim aut, id quod maxime velim, pelli istum ab Hispania aut *trahi id bellum*;" ibidem „si *trahitur bellum*, quid exspectem aut quam diu?" Liv. V. 10 „unum *bellum* annum iam tertium *trahi* et consulto male geri, ut diutius gerant." Vell. Pat. II. C. 11. § 22 „criminatus Metelli lenitudinem, *trahentis* iam in tertium annum *bellum*." Quam ob rem mea quidem sententia recte Cobetius posuit „estne autem haec sententia insana et absurda an non est?" Idem, ut aliquid singulari Vaticani auctoritati tribuat, mutat *tantum bellum*. Negari quidem non potest verba *tantum bellum* in his orationibus saepius occurrere,[2]) sed aliis atque simillimis locis adducor, ut talem vocem ad *bellum* adpositam superfluam esse credam. Sunt autem loci hi: or. Phil. III. § 2 „quod si aut Kalendae Ianuariae fuissent eo die, quo primum ex urbe fugit Antonius, aut eae non essent exspectatae, *bellum iam nullum haberemus*." or. Phil. V. § 53 „celeritate autem opus est; qua si essemus usi, *bellum*, ut saepe dixi, *nullum haberemus*." Quae cum ita sint, mea quidem sententia resecandum est illud molestum importunumque *tractum*, ab eo librario Vaticani additum. qui sermonem *unde est bellum* fulcro indigere existimavit.

---

[1]) Mnem. VII. Nov. Ser. pag. 140. [2]) orat. Phil. III. § 3. VIII. § 7.

Orat. VIII. § 4.

„Si enim belli nomem tolletur, municipiorum studia tollentur." Sic editores. Vaticanus exhibet: toll*eitur*-toll*entur*; D. toll*itur*-toll*untur* (ex *entur cod. l*).

Tollentur ex Vaticano recipiendum esse, praesertim cum etiam in uno libro familiae D sic scriptum fuisse Clarcius adfirmet, equidem non nego. Sed videndum esse censeo, num altera scriptura codd. D *tollitur* tam temere spernenda sit. Velim conferas, quid C. F. W. Muellerus ad Cicer. De Off. I. § 106 „atque etiam si considerare volumus, quae sit in natura excellentia et dignitas, intellegemus, quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere" adnotaverit *„volumus ist unnötig nach schlechten Handschriften in volemus geändert. Allerdings steht in Nebensätzen regelmässig das Futurum, wenn das Verbum des Hauptsatzes im Futurum steht, meist auch, wenn dasselbe einen futurischen Sinn hat, in Befehlen u. s. w.; notwendig aber nur dann, wenn die Zeit des Nebensatzes ebenso ausschliesslich die Zukunft ist, wie die des Hauptsatzes."* Muellerus ipse hanc suam explicationem duobus tribusve exemplis probavit; equidem facere non possum, quin viro doctissimo plane adsentiar, cum perfacile sit exempla ex aliis auctoribus, velut ex Seneca Rhetore et Seneca Philosopho permulta addere.

Vides *tollitur . . . tollentur* legibus grammaticis satisfacere. Accedit aliud. Initio totius loci praesens tempus adhibetur (*damus*) aeque atque extrema parte „si nos *languescimus*, debilitetur *necesse est*." Quae cum ita sint, equidem crediderim *tollitur* veram esse Ciceronis manum, librarios codicum familiae D, ut aliquo modo concinnitati satisfacerent, traditum *tollentur* mutavisse in *tolluntur*. Quae exposui editores omnes confirmare videntur, cum simillimum locum [1]) sic edendum censeant „qua re si pace frui vo*lumus*, bellum gerendum *est*; si bellum *omittimus*, [2]) pace nunquam *fruemur*."

[1]) orat. Phil. VII. § 19.

[2]) omi*ttimus:* V; omitte*mus:* bnt; omitta*mus:* l,

Orat. VIII. § 7.

Locus a Clarcio et Muellero sic editur „utrum hoc bellum non est an est tantum bellum, quantum nunquam fuit?“ [Pro *an est* tradit V: *etiam;* D: *an etiam.*] Halmius aliquando coniecit „bellum *est an non est.*“ Equidem, artissime codd. D me adiungens, legendum esse puto *„an est iam tantum bellum.“* Complures enim senatores belli nomen in sententia ponendum non putabant: tumultum appellare malebant. Sed cum D. Brutus oppugnetur, Gallia vastetur, Mutina, firmissima populi Romani colonia, obsideatur, Cicero sibi persuasit *iam* tantum bellum exortum esse, quantum nunquam fuit.

Ad finem huius capitis pervenimus. Atque nonnullis exemplis ex oratt. I—VIII sumptis satis exposuisse mihi videor, quanti essent aestimandi codices familiae D illosque libros, quamvis dedita opera retractatos non tantopere tamen depravatos esse, ut omnia veteris atque genuinae lectionis vestigia exstincta et deleta sint. Quam ob rem Clarcius, ille vir doctissimus, magnopere laudandus est, quod et novos libros familiae D adhibuit et huic familiae librorum magnam auctoritatem tribuit.

Sed quod singulos perlustrantes locos fortasse parum probavimus, hoc criticam ut aiunt horum librorum historiam pertexentes melius demonstraturos nos esse speramus.

Caput II.

Plerique, ut monui, editores libros nostros in duas familias ita divisos volunt, ut altera (V) oratoris verba pura ac sincera servarit, altera (D) foedissime et interpolationibus et librariorum mendis depravata. Sed iam C. F. W. Muellerus [1]) suspicatus est omnes libros in unum vetustissimum archetypum redire et quantum video Clarcius [2]) paucis testimoniis allatis illam Muelleri sententiam ita probavit, ut ipse labore omnes rationes argumentaque adferendi supersedere fortasse possim. Neque tamen a me impetrare possum, ne, cum res summi momenti ac ponderis sit, quaestionem denuo, quamvis leviter perstringam.

Tres sunt autem res, quibus, quaecumque exemplaria ad nostram aetatem pervenerunt, ex uno fonte hausta esse demonstretur: primum communes lacunae, tum communes glossae, tum proprie qui dicuntur scribae errores.

Initium capiamus a lacunis, quas iam in communi archetypo, quem X littera liceat significare, fuisse omnes editores statuunt, velut:

orat. III. 31. ⟨*fundit apothecas*⟩ caedit greges armentorum. Ernestius ex Servio ad Verg. Ecl. VI. v. 55 lacunam supplevit.

orat. XI. § 4. ⟨*sin ut ad Trebonium*⟩ a libris om. Lambinus humanista addidit.

---

[1]) Praef. Vol. II. 3. pag. XCIX.

[2]) Classic. Rev. 1900 pag. 47. 48.

Quibus locis adiungo:

orat. I. § 32. Manlium ⟨*Marcum*⟩ vocari.
II. § 5. interfectum ⟨*me*⟩ a te.
II. § 40. ne ⟨*de*⟩ iocis quidem.
III. § 34. pereundum ⟨*erat*⟩.
V. § 5. impius ⟨*est*⟩.
X. § 15. tamen ⟨*eo*⟩.

Ipsum me etiam saepius in codice X verba intercidisse putare tertio capite ostendam. Nunc cum illis eos confero locos, quibus ex detrita aut evanida codicis X scriptura et Vaticanus et familiae D libri paucas tantum litteras servaverunt, velut:

orat. II. § 106. *sed sum vinus:* V; *et simul unũ cinus:* c; *et sermulcinus:* t; *simul:* n.

orat. II. § 115. *hac in manum latione:* V; *hac nũmatione:* D.

Iam his exemplis allatis satis apparere videtur, quam recte Muellerus et Clarcius de communi librorum origine iudicarint. Accedit alterum testimonium, dico communes librariorum errores. Nolo tamen omnia menda repetere; satis erit ex tanta copia ea deligere, quae memorabilia sunt et aliquem fructum habent. Velim perspicias hosce locos:

orat. I. § 15. *suis similibus:* codd.	su*i* similibus: Editores
orat. I. § 21. *ad* res populares*:* codd.	*at* res popularis: Ed.
orat. II. § 7. *l*oca: codd.	*io*ca: Ed.
orat. II. § 26. *auc*toribus: codd.	*ac*toribus: Ed.
orat. II. § 45. *di*mittere: codd.	*de*mittere: Ed.
orat. II. § 63. *di*ceret: codd.	*duc*eret: Ed.
orat. II. § 82. ven*ie*bant: codd.	ven*i*bant: Ed.
orat. II. § 96. *imi*tatores: codd.	*insti*tores: Ed.
orat. II. § 97. ment*is es*: codd.	ment*is:* Ed.
orat. III. § 2. sacrifici*i:* codd.	sacrifici*is:* Ed.
orat. III. § 3. *nec* optantibus quidem: codd.	*ne* optantibus quidem: Ed.
orat. V. § 22. *d*escripsit: codd.	*dis*cripsit: Ed.

orat. VIII. § 14. principem *senatorem:* codd.	principem *senatus:* Ed.
orat. IX. § 13. stat*ua:* codd.	statu*ta:* Ed.
orat. XI. § 6. eff*ecta:* codd.	eff*icta*: Ed.
orat. XI. § 19. com*itiis:* codd.	com*mittis*: Ed.

Restat, ut quaeramus, num communes glossae unum atque eundem fontem indicent. Nemo hoc in dubium vocabit; memineris tamen me nisi eos locos non adlaturum esse, quibus glossas in textum irrepsisse omnes consentiunt. Sunt autem loci hi:

orat. I. § 13. metu *[veteranī];* orat. I. § 22. his duabus quaestionibus *[de vi et maiestatis:* V; *de vi et de maiestate:* D] sublatis; orat. II. § 68. in vestibulo rostra *[spolia];* orat. II. § 85. tanta merces *[id est* (om. D), *ubi campus Leontinus appareat.]* orat. III. § 30. leges imposuerit, armis et praesidiis populum et magistratus excluserit *[armatis:* V *armis:* D] senatum incluserit. orat. IV. § 6. huius legionis *[Martiae];* orat. IV. § 13. hac *[virtute].* orat. VIII. § 30. aut cogitare *[adesse];* orat. XI. § 4. Lysidicum ipsum *[Graeco verbo];* orat. XII. § 20. non duo praetores *[non tribunos pleb].*

Dilucidum exemplum Clarcius ipse adfert:[1]) est orat. XI. § 6. „cuius taeterrima crudelitate omnis barbaria superata est." V exhibet: *acuius;* D: *a cuius.* Quamquam Halmius ad hunc locum adnotat „saepius in Vaticano voci alicui *a* male praefixum legimus," tamen cum Clarcio consensum librorum communi archetypo tribuere malim.

Haec fere sunt, quae de communi omnium librorum origine dicenda putavi. Quam si recte ostendimus, nova oritur quaestio. Qui enim fit, ut interdum libri tantopere inter se discrepent? Tribus, si quid video, rationibus hanc tantam librorum discrepantiam explicare poterimus. Nam quoniam codicis X nonnullos locos evanidas aut casu obscuratas supra statuimus, eum qui primum alterius familiae (D) exemplar inde descripsit, quem littera N significare brevitatis

[1]) Class. Rev. 1900 pag. 48.

causa liceat, interdum codicis X ductus parum intellexisse nemo mirabitur, velut:

orat. II. § 61. *quam nequam* hominem: V;	*quem:* D.
orat. V. § 8. sustinere *tamen eum ac ferre:* V;	sustinere *me non afferre:* D.
orat. VI. § 16. *Lucium ego ne Gaium* quidem: V.	*L. Egnatium* quidem: D.
orat. VIII. § 10. *viderunt* enim ex *mendiciis:* V;	*sui* enim ex me *didicerunt:* D.
orat. VIII. § 24. servi *publici loris;* V.	*servitores:* D.

Quibus locis nescio an recte addatur orat. I. § 1, ubi haud facile diiudicatur, utrum codicis X an N verba obscurata recentiores scribae in errores induxerint.

Sequitur earum turba lectionum, quas suo ingenio fretus aut scriba N aut interpolator codicis N introduxit. Sed hae sunt omnes fere eius modi, ut primo obtutu fraudem interpolatoris arguant. Proponam pauca exempla:

orat. II. § 20. maiora *videamus:* V; *ad* maiora *veniamus:* D.

orat. VII. § 6. *devinxit* eiusdemque *cura incredibilis . . . per*specta docuit non modo salutis sed etiam dignitatis meae fuisse fautorem: V; *coniunxit* eiusdemque *curam incredibilem perspexi* non modo salutis, sed etiam dignitatis meae: D.

Sed restat tertium idque gravissimum genus lectionum discrepantium, quae neque socordiae librariorum oscitantium neque interpolatori codicis N tribuendae sint. Ut exemplo eoque dilucido utar, velim conferas orat. II. § 86. *quid indignius quam vivere* eum qui: V; *nonne indignus tu tueri* eum qui: D.

Codicum D lectionem corruptam esse sine mora concedendum erit; unde orta sit, facile intellegitur: cod. N exbibebat *nonne indignum est vivere* eum e. q. s. Iam velim

adhibeas Cicer. Epist. ad Att. XVI. 11_{12} „illud etiam malo ⟨corrigere⟩ *indignissimum est hunc vivere* quam *quid indignius.* [1]) Quo facto quis est qui lectionem codd. D nescio cui correctori tribuat? Immo ipsa est, quam in edenda oratione Cicero ipse exhibuit. Sed ne id quidem, quod exstat in V interpolatori adscribendum erit; scripsit ita Cicero ipse in proecdosi. Quid igitur? Hanc inter duas familias intercedere rationem statuemus, ut altera proecdoseos altera verae editionis exemplar nobis proponat? Falsum hoc esse et ea, quae supra demonstravimus, ostendunt et una quaeque fere clamat pagina. Necesse igitur est statuamus in libro archetypo (X) duas lectiones exstitisse, quarum alteram recepit scriba N, alteram is, unde pendet cod. V. Vides grammaticum aliquem adscripsisse codici X varias ex diversis editionibus lectiones. Neque desunt, qui hanc coniecturam confirment loci, quibus Vaticanus ambas, alterutram lectionem librorum D archetypus (N) exhibebat. [2]) Duobus exemplis hoc loco contenti esse possumus. Sunt autem haec:

orat. II. § 68. [3]) os impurissimum osten *importunissimum* dere: V; os *importunissimum* ostendere: D.

orat. III. § 23. honestissimis contionibus et saepe et iure *contentionibusque* vexatus: V; honestissimis *contentionibus* et saepe et iure vexatus: D.

Sed plures tamquam ansas scripturae lectionesque eorum, qui Ciceronis orationes Philippicas laudaverunt, ad sententiam a me prolatam comprobandam nobis dant. Quid ita? Optimum erit duobus tribusve exemplis rem exponere.

orat. II. § 64. Cicero loquitur de sectione bonorum Cn. Pompei Magni. Quo loco libri tradunt haec:

---

[1]) Locum dedi secundum C. F. W. Muellerum. Traditur autem codd. Zb, Zl: malo *indignissimum est.* Inde Lambinus: malo *nonne indignissimum est,* quod recepit Wesenbergius. Cod. M. tradit: malo *indignius esse.* Inde coniecit Klotzius: malo *nil indignius esse* quam. At nos ponamus scribendum esse *indignum esse.*

[2]) De quo infra dicendum erit.

[3]) Quod exemplum Halmio debetur.

V: una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit, *servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur,* gemitus tamen populi Romani liber fuit.

D: una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit *servientibusque animis* gemitus tamen populi Romani liber fuit.

Quamquam Halmius et Laubmannus lectionem Vaticani defendere conantur, tamen eos mea quidem sententia Eberhardus optime redarguit [1]) „*servientibusque animis* ist unmittelbar nach „servitutis" höchst auffällig; auch waren die Herzen nicht geknechtet, wie ja der „gemitus" zeigt, sondern die Unmöglichkeit zu handeln lastete auf ihnen." Ille igitur *servientibusque animis* uncis includit, alii alia coniecerunt. [2]) Quis interpretum recte faciat, longius non persequar: aliud mea interest. Quantum enim video omnes defendunt *cum omnia metu tenerentur* Senecam rhetorem testem adferentes, apud quem legimus [3]) *quamvis omnia metu tenerentur.* Contra quod nihil equidem dico. Sed nemo adfirmare potest eundem Senecam ante oculos habuisse *servientibusque animis.* De qua re vel maxime dubito. Nam quod codd. D *cum omnia metu tenerentur* omittunt, lacuna nescio cui casui tribuenda non est. Aliud verisimilius est, nempe archetypum librorum Ciceronis duas lectiones tradidisse, quarum D alteram, Vaticanus ambas receperit.

Iam videamus alia exempla! Cum orat. I. § 10 libri ita inter se discrepent, ut V tradat „multa autem impendere *videntur,*" D exhibeat „multa autem impendere *videbantur*" possumus hanc discrepantiam correctori codd. D tribuere. Sed cum Servius *videbantur* testetur, lectionem codd. D non recentiorem esse quam Vaticani mihi quidem constat.

Orat. II. § 77. V: confestim ad eam, cuius causa venerat.

D: confestim ad eam *deducitur,* cuius causa venerat.

Gell: confestim ad eam, cuius causa venerat, *deducitur.*

---

[1]) Ed. III. pag. 85.

[2]) *Servientibusque cunctis:* Campe. *Servientibusque manibus:* Koch. *Servientibusque amicis:* Hammer. *Stupentibusque animis:* Nohl. [3]) Suas: l. VII. 2. ed. Mueller.

Lectionibus inter se collatis apparet codd. D antiquissimam lectionem in communi archetypo fortasse in margine adscriptam servavisse.

Plura exempla adferre opus non est, cum sequenti appendice componantur et comparentur, quae apud alios scriptores excerpta leguntur. Sed antequam pergamus, breviter, quae adhuc hoc capite exposui, comprehendam. Et V et D ad unum exemplar redeunt, quamquam lectiones persaepe mirum in modum inter se discrepant. Communis omnium librorum archetypus, quantum quidem ex mendorum genere colligitur, haud ita antiquus est, sed retinuit ille ex antiquis editionibus varias lectiones aut in margine aut inter versus appictas. Inde aliquot ortae sunt lectiones variae, plerasque interpolatoris N libidini equidem tribuerim.

Restat iam ut Vaticani libri indolem atque formam contemplemur; neque enim in eo acquiescimus, quod plerique statuere videntur Vaticani menda omnia socordiae inscitiaeque scribae tribuenda esse.

Vaticanum codicem cum perlustramus, miramur multitudinem dittographiarum. Dittographias enim invenimus his locis:

orat. II. § 8. ips*ũo:* V;	is*to:* D.
orat. II. § 23.[1]) coniunctio*nise:* V;	coniunctio*ne:* D.
orat. II. § 45.[2]) confirma*uiat:* V;	confirma*bat:* V;
orat. II. § 50. alienis *alieni:* V;	*alieni:* D.
orat. II. § 68.[3]) os impurissimum osten *importunissimum* dere: V;	os *importunissimum* ostendere: D.
orat. II. § 68. vestibul*oa:* V;	vestibul*a:* D.
orat. II. § 69. pro *conclavibus* popinae tricliniis: V;	pro *tricliniis* popinae: D.
orat. II. § 91. omen *nomen:* V;	*omnem:* D.
orat. II. § 96. iur*eis:* V;	iur*e:* D.
orat. II. § 116. magni*ultis:* V;	*magnis:* D.

[1]) Testatur Halm pag. 1245. [2]) Halm pag. 1254. [3]) Halm pag. 1260.

orat. III. § 1. postula*batvit:* V;	postula*vit:* D.
orat. III. § 13. poss*etint:* V;	poss*ent:* D.
orat. III. § 16. traxit *tarxerat:* V;	*traxerat:* D.
orat. III. § 22. intelle*gitat:* V;	intelle*geret:* D.
orat. III. § 23. *contionibus* . . . contentionibusque: V;	*contentionibus:* D.
orat. III. § 36. pate*faciunt fecerunt:* V;	pate*fecerunt:* D.
orat. V. § 5. *Cotyian* Cotyionem: V;	*Cotylonem:* codd. bt; *Cotylam eam:* codd. ln.
orat. V. § 28. tum *deinde*-tum atque: V;	*deinde-tum:* D.
orat. V. § 45. *hortandi* honorandi: V;	*deest:* D.
orat. VIII. § 32. captivi *servi:* V;	*servi:* D.
orat. XI. § 14. vindic*em is:* V;	vindic*es:* D.

Non sine causa omnes dittographias, quas editores adferunt, notavi. Satis enim clare ex illis adparere videtur Vaticanum librum aut illius fontem ab homine quodam dedita opera retractatum esse. [1]) Ipsa re ergo adducimur, ut quaeramus, num ille librarius etiam aliis locis suo ipsius ingenio fretus munere critici, quem dicimus, perfunctus sit. Quod vix negari poterit, cum invenimus librarium de consulto et sua sponte mutavisse aut verbis insertis aut deletis. Quaerendum primum est, num verbis vel sententiis de consulto omissis fraus illius librarii arguatur.

[1]) Quem fontem librarius nostri Vaticani cod. neglegentissime descripsit. Qua re cod. a duobus aliis librariis percorrectus est, ut distingamus V_1; V_2; V_3. Statuendum est alterum correctorem codicis, id est V_2, et exemplari simillimo codd. D usum esse et multa suo arbitrio mutavisse. Quibus coniecturis parva fides habenda est; nam omnibus iis locis, quibus editores lectionem V_2 anteponunt, magna inter viros doctos rixa exorta est, ut haud sciam an Eberhardus ad orat. I. § 30 recte adnotet *urbe incendio et caedis metu liberata* ist ein sehr passender, aber immerhin unsicherer Zusatz in der besten Handschrift von jüngerer Hand." — V_3 congruit omnibus locis cum D.

Persaepe in Vaticano lacunae sic ortae sunt, ut inter verba, quae eisdem litteris incipiunt aut in easdem cadunt, sententiae vel voces aliquot intercíderent. Cuiusmodi exempla in omni fere oratione inveniuntur.

orat. I. § 11. M. Antoni ⟨*in*iuria . . . cur⟩ *in.*
orat. II. § 52. rogando ⟨*neque* maiores natu monendo⟩ *neque.*
orat. II. § 72. ⟨*ego* leges perniciosas rogavi⟩ *ego.*
orat. II. § 76. *nullum* ⟨turpius vidi *nullum*⟩.
orat. II. § 79. *Dolabella* ⟨qui . . . *Dolabellam*⟩.
orat. V. § 4. ⟨*legionum* quam senatus si quidem⟩ *legiones.*
orat. V. § 24. bellum in ⟨*ferret*⟩ *ferre* potuissent.
orat. VIII. § 9. ⟨*homines* agrestes si⟩ *homines.*
orat. XI. § 10. ⟨*cuius* sanguinem non bibere censetis in⟩ *cuius.*
orat. XIII. § 2. volu*isset* ⟨hominum . . . potu*isset*⟩.

Eodem loco ponenda sunt alia lacunarum genera, qualia in omnibus libris manuscriptis exstant. Velim conferas:

orat. I. § 9. et ibi velle tuto esse ubi ille ⟨*non posset*⟩.
orat. I. § 16. per illum non ⟨*licuit*⟩.
orat. II. § 13. ille ⟨*sensim dicebat*⟩.
orat. II. § 44. certus locus ⟨*constitutus*⟩.
orat. VII. § 3. quoniam ⟨*Gaius*⟩ frater est ⟨*inde*⟩ revocatus.

Maiora videamus! Restat enim lacunarum genus maxime idoneum, quod summam suspicionem de fide eius codicis, unde descriptus est Vaticanus, nobis moveat. Quid? omnesne lacunae V_1 ex neglegentia et inscitia librarii ortae sunt? Contra quod complures loci dicere videntur. Velim conferas:

orat. I. § 27. sin consuetudinem meam ⟨*quam in re publica semper habui*⟩.
orat. I. § 29. te enim intuens, Dolabella ⟨*qui es mihi carissimus*⟩.
orat. I. § 33. num claritatis ⟨*num gloriae*⟩.
orat. I. § 33. ne putes plus te unum posse quam omnes et metui a civibus tuis ⟨*quam diligi malis*⟩.

orat. II. § 20. et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse ⟨*operis subsicivis*⟩.

orat. II. § 25. qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam ⟨*oneraret*⟩ alienis.

orat. II. § 116. quid multa? ⟨*attulerat iam liberae civitati partim metu partim patientia consuetudinem serviendi*⟩.

orat. II. § 119. perfuncto rebus eis ⟨*quas adeptus sum quasque gessi; duo modo haec opto, ut*⟩ moriens.

orat. III. § 25. ⟨*nullam se habere provinciam*⟩ nullam Antoni sortitionem fuisse iudicaverunt.

orat. IX. § 2. in nullo iustior ⟨*quam in Serv. Sulpicio*⟩.

Clarcius[1]) nonnullis locis copiosius atque cum comprobatione eorum, qui huc usque de opera eius iudicium tulerunt,[2]) exposuit verba, quae uncis inclusi, Ciceronis propria esse, ut non habeamus, cur ea cum Halmio et Muellero spernamus; nisi forte putamus librarios codd. D tam bene Ciceronis scripta novisse, ut lacunas antiquissimas optime et ad sensum aptissime supplerent.[3]) Equidem Ciceronis verbis iterum perlustratis id unum dicam: magna admiratione adficimur, quod iis locis verba desunt, quibus librarius in copia verborum offendisse videtur[4]) aut quibus oratoris verba nisi accurate interpretando non intelleguntur.[5])

Utut est, nemo credo asseverabit Vaticanum, praesertim prima manu scriptum, quod attinet ad verba de consulto dempta et omissa omni suspicione carere. Quae cum ita sint, quaerendum est, num textus illius codicis, unde descriptus est V, etiam verbis adpositis mutatus sit. Num talia in Vaticano exstant? Hirschfelderus, ille vir doctissimus, cum Eberhardi editionis alterius recensionem scriberet, posuit

---

[1]) Class. Rev. 1900 pag. 402 (ad orat. I. § 29; § 33; orat. II. § 20; § 119).

[2]) Hischfelder. Wochschr. f. kl. Phil. 1900.

[3]) ut Halmius duobus tribusve locis adnotat.

[4]) sic orat. I. § 33; II. § 79 (orat. I. § 13? orat II. 24? orat. X. § 7? orat. X. § 5?)

[5]) sic orat. II. § 116.

haec [1]) *„wir glauben nicht, dass im Vaticanus Glosseme enthalten seien, Interpolationen aus Randerklärungen in den Text gekommen, die bekanntlich in den meisten Handschriften Ciceros überaus zahlreich sind.“* Quem quantum video, nemo editorum secutus est nec sequi potuerunt; nam argumenta manifestiora sunt, quam ut de re dubitari possit. Ex copia glossarum has solum adfero. [2])

orat. I. § 28. sed idem illi ita mecum *[locuntur]*.

orat. VIII. § 3. quod bello *[Italico]*.

Quibus rebus expositis dicendi finem faciamus! Quid consecuti nobis videamur, paucis complectar. Et V et D ad unum exemplar, haud ita antiquum redeunt, quod varias iam exhibuit scripturas, quas pro arbitrio aut receperunt aut omiserunt utriusque familiae parentes. Utraque deinde recensionem aut interpolationem potius passa est. Utraque igitur in constituendo, quem dicunt, textu respicienda erit atque, ubi tradunt, quae aeque ferri posse videantur, cautio atque diligentia summa erit adhibenda.

---

[1]) Ztschr. f. d. G. W. 1871.

[2]) Alia exempla cap. I. attuli.

Appendix.

Componuntur, quae ex Cic. oratt. Philippicis apud alios scriptores excerpta leguntur.

Oratio I.

§ 1. Cl: Antequam de re publica, patres conscripti, dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meae: Grillius. Rhet. Lat. Min. [1]) pag. 614_{12}

patres conscripti dicam: V D; dicam *patres conscripti:* Grillius.

Cl: exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meae: Grillius. Rhet. Lat. Min. pag. 614_{12}. Nonius pagg. 222_{13}, 299_{8} (328, 464 L) [2])

vobis *breviter:* V D Non.; *vobis:* Grillius.

et profectionis et *reversionis;* V D;

profectionis et *reversionis:* Grillius;

profectionis et *regressionis:* Non. (utroque loco.)

Cl: nec vero usquam discedebam nec a re publica deiciebam oculos: Nonius pag. 289_{3} (446 L.)

discedebam: V D; *om. codd. Non. propter homoeot.*

---

[1]) Rhetores Latini Minores. ed. C. Halm.

[2]) ed. Lindsay [L.]

§ 3. Cl: num immunitates datae: Non. pag. 30_{13} (43 L.)

§ 4. Cl: non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: Non. pag. 385_{24} (615 L.)

quod pertuleramus: V D; *om. Non.*

§ 5. Cl: uncus impactus est fugitivo illi, qui in Mari nomen invaserat: Schol. Cruq. ad Hor. Carm. I. 35 vers. 20

in *Mari* nomen: V D; in *G.* Mari nomen: Schol.

§ 6. Cl: et absente populo et invito: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 454_{4} [1])

Cl: veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime caverat: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 488_{24}.

qui *appellabantur:* V l n; qui *appellantur:* c t; *om. Arus.*

§ 7. Cl: plus una me nocte cupiens retinere non potuit: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 499_{25}.

una *me* nocte cupiens: V D; una nocte *me* cupiens: Arus.

§ 8. Cl: ex eis quidam Roma recentes: Arus. Gr. Lat. VII pag. 505_{23}

ex *eis:* V D; ex *his:* Arus.

§ 10. Cl: hunc igitur ut sequerer properavi, quem praesentes non sunt secuti, non ut proficerem aliquid — nec enim sperabam id nec praestare poteram — sed ut, si quid mihi humanitus accidisset: Gellius XIII, 1. [2])

nec enim: V; *neque* enim: D; Gellius.

Cl: multa autem impendere videntur praeter naturam etiam praeterque fatum: Gellius $XIII_{1}$; Servius ad. Verg. Aen. IV 653; [3]) Lact. Plac. ad Stat. Theb. III 205. [4])

autem *impendere videntur:* V; Gellius; Lact. Plac. [5]);

---

[1]) Grammatici Latini. ed. H. Keil.

[2]) Editione M. Hertzii usus sum.

[3]) ed. Thilo-Hagen;

[4]) rec: Rich. Jahnke.

[5]) Lact Plac. laudat locum praeterea ad Theb. II. 191: *multa etiam contingunt praeter naturam praeterque fatum* et ad Theb. IV. 677: *multa fiunt praeter naturam praeterque fatum.*

autem *impendere videbantur:* D;
mihi imminere videbantur: Servius.
etiam praeterque: V D Gell. Lact. Plac. (priore loco);
etiam: om. Servius.

Cl: huius tamen diei vocem testem rei publicae relinquerem meae perpetuae erga se voluntatis: Gellius XIII$_1$.

huius *tamen* diei: V; huius diei: D Gell.

§ 15. Cl: quae, malum, est ista voluntaria servitus: Aquil. Rom. Rhet. Lat. Min. pag. 37$_3$.

§ 16. Cl: quae ille in aes incidit: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 487$_{14}$.

§ 17. Cl: pecunia utinam ad Opis maneret: V D[1]); Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 453$_3$.

§ 18. Cl: Ecquid est quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in re publica cum potestate imperioque versatus sit quam lex: Martian. Cap. Rhet. Lat. Min. pag. 467$_7$. Victorinus de definitione ed. Stangl. pag. 31.[2])

ecquid est, quod . . . quam lex: V D Victorinus;
quid tam proprie Caesaris actum est quam lex: Mart. Cap.[3])

Cl: quaere acta Gracchi: leges Semproniae proferentur; quaere Sullae, Corneliae: Mart. Cap. Rhet. Lat. Min. pag. 467$_{10}$. Victorinus pag. 31.

Cl: quid? Pompei tertius consulatus in quibus actis constitit? nempe in legibus: Victorinus pag. 31.

Pompei: V Vict.; *Cn. Pompei:* D.
nepme in legibus: V$_3$ D. Victor.; *in* legibus: V$_1$.

Cl: De Caesare ipso si quaereres quidnam egisset in urbe et in toga, leges multas responderet se et praeclaras tulisse: Victorinus pag. 31.

---

[1]) *opis:* Vc; *opes:* In$_1$; *opus:* n$_2$ t.
[2]) Tulliana et Mario-Victoriniana. von Th. Stangl.
[3]) *quid* . . . *actum* Halmius supplevit; codd. opt. exh. mançe *est quam lex*, det; *est quaedam actio lex*,

de Caesare: V Victorinus; *a* Caesare: D.
toga: cn_2; Victorinus. *togam:* Vn_1; *totam:* It.

Cl: chirographa vero aut mutaret aut non daret, aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret; sed haec ipsa concedo; quibusdam etiam in rebus coniveo; in maximis vero rebus, id est in legibus, acta Caesaris dissolvi ferendum non puto; Victorinus pag. 32.

sed *haec* ipsa: V; sed *ea* ipsa: D. Victor.
etiam in rebus: Vc Vict.; in rebus *etiam:* ceteri codd. D.
in legibus: c Victor.; *legibus:* cett. libri.

§ 19. Cl: nisi forte, si quid memoriae causa rettulit in libellum, id numerabitur in actis et, quamvis iniquum et inutile sit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Caesaris non habebitur: Victorinus pag. 32.

§ 20. Cl: ‚census praefiniebatur' inquit; non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 499_6.

§ 23. Cl: quae iubent ei, qui de vi, itemque ei, qui maiestatis damnatus sit: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pagg. 469_3, 481_1.

itemque *ei* qui: D Arus. (utroque loco).
itemque *qui:* V.

§ 25. Cl: vacui metu esse debemus: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 514_{11}.

§ 26. Cl: et in aes incidi iubebitis, credo, illa legitima: Arus. Mess. Gr. Lat. pag. 487_{15}.

§ 28. Cl: et simul admonent quiddam, quod cavebimus: Arus. Mess. Gr. Lat. pag. 488_{22}.

§ 29. Cl: [1]) est autem gloria laus recte factorum magnorumque in rem publicam fama meritorum: Isidorus. Origg. II 30_2.

est autem gloria *laus:* V_1.
ea est autem gloria *et* laus: V_2 c t.

[1]) Cl. proponit in adn. crit.: *est autem gloria ea laus.*

ea autem est gloria *et* laus: l n.
gloria *est* laus: Isidor.
in re*m* publica*m fama* meritorum: c.
in re*m* publica*m* meritorum: V l n t.
in re public*a fama* meritorum: Isidor.

§ 33. Cl: non possum adduci ut suspicer te pecunia captum: Nonius pag. 253_{15} (383 L.)
suspicer te: V D; *suspicere:* codd. Non.

Oratio II.

§ 1. Cl: te miror Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere: Cassiod. Lib. de Rhet. cap. 13 = Rhet. Lat. Min. pag. 499_{26}; Isidorus. Origg. II. 9_{12} = Rhet. Lat. Min. pag. 512_{8}.
quorum *facta* imi*tere:* V D; quorum *exempla* imi*taris:* Cassiod. Isidor.
exitus non *perhorrescere:* V l n c; exitus non *pertimescere:* t Cassiod. Isidor. [1])

§ 2. Cl: quid putem? contemptumne me? non video nec in vita nec in gratia nec in rebus gestis nec in hac mea mediocritate ingeni, quid despicere possit Antonius: Quintil. [2]) XI. 1. 25.

Cl: an decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem est beneficium; quid enim plenius, quid uberius quam mihi et pro me et contra Antonium dicere?: Quintil. XI. 1. 25.
est beneficium: V c t Quint. cod. B; beneficium *est:* ln Quint. Vulg. [3])

§ 3. Cl: at enim te in disciplinam meam tradideras — nam ita dixisti —; domum meam ventitaras: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 513_{4}.

---

[1]) Lindemannus edidit: *exitum.*
[2]) ed. C. Halm.
[3]) Quint. cod. M: *est* beneficium *est.*

at *enim* te: V D; at *tu* te: Arus. Mess.

nam ita dixisti: V D; *om.* Arus. Mess.

§ 4. Cl: tu nec solvendo eras: V D.[1]) Priscian. Gr. Lat. III pag. 360_{7}.

§ 6. Cl: cum omnis impuritates impudica in domo cotidie susciperes, vino lustrisque confectus: Nonius 333_{26} (524 L.) vino . . . confectus: Servius ad Verg. Aen. III 647.

*im*pudica: V. Non. *pudica:* D.

§ 11. Cl: tibi fatum, sicuti C. Curioni, manet: Diomed. Gr. Lat. I pag. 314_{35}.

fatum: V D. *poena:* Diomed. [2])

sicuti Curioni: V_1; *C.* Curioni: V_2; *C.* Curione*m*: D. *om.* Diom. [3])

Cl: quoniam id domi duae est, quod fuit illorum utrique fatale: Arus. Mess. Gram. Lat. VII pag. 491_{25}.

quoniam id dom*i tuae est:* V D[4]) *quando tibi* dom*i manet:* Arus. Mess. [5])

§ 16. Cl: quid autem est, quod tu non audeas: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 458_{4}.

quid *autem:* V D; quid *enim:* Arus. Mess.

§ 18. Cl: an verebare ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere: Nonius pag. 293_{8} (453 L.)

tam improbum: V D; *non* improbum. codd. Non. [6])

Cl: vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, poena adfectum querebare: Iul. Severianus. Rhet. Lat. Min. pagg. 360_{26}, 368_{9}. [7])

---

[1]) *nec solus deeras:* In; *nec eras:* t.

[2]) Diomed. libri exhib. mance *tibi poena manet.* Reliqua Ciceronis verba intercidisse videntur.

[3]) vide not. [2])

[4]) *domui:* c; *domu:* n; *domus:* V.

[5]) Arus. Mess. Cic. verba breviter comprehendit vel neglegenter exscripsit.

[6]) *non:* del. ed. pric.

[7]) Severianus non ipsius Ciceronis verba laudat, sed ea, quibus sententiam eorum reddidit ille quo usus est auctor; adfert enim *avunculum suum sceleratum esse fatebatur, poena adfectum querebatur.*

§ 20. Cl: quam id te, di boni, non decebat: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 465_1.

id *te:* V Arus. Mess.; *id:* D.

§ 21. Cl: quidnam homines putarent, si tum occisus esset, cum tu illum in foro inspectante populo Romano gladio insecutus es negotiumque transegisses, nisi se ille in scalas tabernae librariae coniecisset: Scholia Bobiens. ad orat. Milon. § 40. [1])

inspectante: c t Schol. *spectante:* V l n.

gladio insecutus: V Schol.; *gladio stricto* insecutus: D.

nisi *se* ille in scalas tab. libr. coniecisset: V D;

nisi ille in scalas tab. libr. *se* coniecisset: Schol. [2])

§ 23. Cl: quid ego illum ab eo distrahere conarer: Non. pag. 287_{12} (443 L.) [3])

§ 24. Cl: utinam, Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses aut nunquam diremisses: Priscianus Gr. Lat. II pagg. 395_3, 407_{21}.

Cn. Pompei cum *C.* Caesare: D Priscian (utroque loco);

Pompei cum *Caesare:* V.

§ 27. Cl: Domitium non patris interitus, clarissimi viri: Nonius pag. 209_9 (308 L.)

§ 30. Cl: edormi crapulam, inquam, et exhala: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pagg. 472_9, 477_{13}.

inquam: V D; *om.* Arus. Mess. (utroque loco).

§ 35. Cl: illud Cassianum cui bono fuerit: Priscian Gr. Lat. III 365_{18}. [4])

§ 42. Cl: adhibes ioci causa magistrum suffragio tuo et compotorum tuorum rhetorem, cui concessisti, ut in te quae vellet diceret, salsum omnino hominem, sed materia facilis in te et in tuos dicta dicere: Sueton. [5]) de Rhet. 5.

---

[1] Vol. II. pag. 288 ed. Or.

[2]) deficit Schol. a *con.*

[3]) *ego ... conarer* excidit in libr. Non.; supplevit Mercerus ex Cicerone.

[4]) Prisc. om. *fuerit*; nec mirandum est.

[5]) ed. Reifferscheidt. pag. 125.

facilis *est* in: V; *facilis* in: D Sueton. [1])

Cl: ille sensim dicebat, quod causae prodesset; tu cursim dicis aliena: Schemata Dianoeas. Rhet. Lat. Min. pag. 75_{6}.

sensim: D. Schem. Dian.; *om.* cod. V.

quod causae prodesset: V D; *quae ad causam adtinebant:* Schem. Dian. [2])

cursim: V D; *currens:* Schem. Dian. [3])

§ 43. Cl: at quanta merces rhetori data est! audite, audite, patres conscripti, et cognoscite rei publicae volnera. Duo milia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori adsignasti et quidem immunia, ut populi Romani tanta mercede nihil sapere disceres: Sueton. de Rhet. 5.

data *est:* V D; *est* data: Sueton.

audite, audite: V D; *audite*: Sueton.

populi Romani: V D; *om.* Sueton.

§ 51. Cl: cervicesque suas ei subiecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt: Nonius pag. 287_{17} (619 L.)

cervic*es*que: V D; cervic*i*sque: codd. Non.

§ 53. Cl: Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caesari omnia perturbare cupienti causam belli contra patriam [in] ferendi dedisti: Aquila Rom. Rhet. Lat. Min. pag. 31_{18}.

tu, tu, *inquam M.* Antoni: V D; tu, tu, *A*ntoni: Aquil. Rom.

princeps C.: V D; *om.*: Aquil. Rom.

omnia *perturbare* cupienti causam belli *contra patriam inferendi* dedisti: V D; *ruenti atque* omnia *permiscere* cupienti causam belli *civilis* dedisti: Aquil. Rom.

---

[1]) Locus in Suetoni libris corruptius traditur: *in te quae:* codd. Cic.; *in quem:* codd. Suet. *salsum:* Cic; *falsum:* libri Suet.

[2]) Auctor Ciceronis verba memoriter laudasse videtur.

[3]) cod. Paris. exhibet: *currens indicias alienam;* fortasse na*sim*tum ex currens e. q. s.

§ 55. Cl: ut Helena Troianis, sic iste huic rei publicae belli causa, causa pestis atque exiti fuit: Victorinus. Rhet. Lat. Min. 228 $_{26}$. Martian. Cap. Rhet. Lat. Min. pag. 467 $_{11}$.

belli *causa* pestis: V; *causa* belli *causa* pestis: D;

sic tu, Antoni, huius belli semen fuisti: Victor;

sic civibus belli semen tu fuisti: Martian. Cap. [1])

§ 56. Cl: si severus, cur non in omnis: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 486 $_{23}$.

Cl: qui non dubitaret vel in foro alea ludere: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 489 $_{27}$.

vel *in* foro: V D; vel *foro*: Arus. Mess.

§ 58. Cl: vehebatur in essedo tribunus plebis; lictores laureati antecedebant: Fortunatianus. Rhet. Lat. Min. pag. 124 $_{18}$.

vehe*batur*: V D; vehe*bantur*: codd. Fortunat.

tribunus plebis: V D; *et* tribunus plebis: codd. Fort.

§ 62. Cl: quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam: Quintil. IX 2 $_{47}$. [2])

§ 63. Cl: tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate: Quintil. VIII 4 $_{16}$, IX 4 $_{23}$.

Cl: ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie: Quintil. IX 4 $_{29}$ [3])

in conspectu populi Romani vomere postridie: Quintil. IX 4 $_{107}$.

in *populi Romani* conspectu: V D; in conspectu *populi Romani*: Quintil. (utroque loco).

Cl: si inter cenam in ipsis tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in coetu vero populi Romani: Quintilian VIII 4 $_{10}$.

---

[1]) Vix dubito, quin auctores ex memoria Ciceronis verba laudaverint.

[2]) hereditat*ium*: Quint. cod. B.

[3]) *postridie* om. codd. Quint. hoc loco; altero loco IX. servatum est.

si . . . accidisset: Quintil. V 10_{99}, Iulius Victor. Rhet. Lat. Min. pag. 403_{26}, Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 482_{1}.

quis non turpe duceret: Quintil: IX 4_{107}.

si inter cenam in ipsis tuis immanibus poculis hoc tibi: V D; *si* hoc tibi *inter cenam* et in illis *immanibus poculis tuis:* Quint. [1]) (utroque loco) Iul. Victor.; [2])

si inter cenam atque in ipsis tuis *immanibus poculis hoc tibi:* Arus. Mess.

diceret: V D; *duceret:* Quint. (utroque loco).

Cl: in coetu vero populi Romani negotium publicum gerens magister equitum: Quint. VIII 4_{8}, XI 3_{39}.

in coetu . . . gerens: Quintil. XI 3_{167}, in coetu . . . Romani: Quintil. XI 3_{172}.

populi: D; populi *Romani:* V Quintil. (etiam VIII 4_{10}); *g*erens: n_2 Quint.; *gens:* V; *re*gens: rel. libri Cic.

magister equitum negotium publicum *gerens*: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 475_{22}.

Cl: vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit: Quintil. VIII 6_{68}; IX 4_{44}. Diomedes Gr. Lat. I 467_{23}.

vinum redolentibus: V D; *om.* Quint. (utroque loco) [3]) Diom. frustis esculentis *vinum redolentibus:* V D Diomedes Gr. Lat. I 319_{13}. Servius Auctus ad Verg. Aen. III v. 632.

§ 64. Cl: bona Cn. Pompei — miserum me! consumptis enim lacrimis tamen infixus animo haeret dolor — bona, inquam, Cn. Pompei Magni voci acerbissimae subiecta praeconis: Quintil. IX. 3_{29}. [4])

miserum me . . . dolor: Quintil. IX 2_{26}.

---

[1]) *et in illis* VIII 4_{10} omnes codd. *et illis:* V 10_{99} cod. A et Iulius Victor *(ex Quintil.); in illis in illis* cod. B. Halmius igitur ipse secum pugnat itemque errat Clarcius.

[2]) *cenas:* cod. Iul. Vict.

[3]) *vinum redolentibus* a Quintiliano utroque loco non casu omissum esse apparet ex Diomede pag. 319_{13}.

[4]) *miserum . . . bona* omis. aliquot libri Quint.

bona *subiecta Cn. Pompei:* V D; *bona:* Quintil. IX 3_{29};
tamen infixus *haberet* [1]) *animo:* V;
tamen infixus *animo haeret:* D. Quint. IX 3_{29};
infixus *tamen pectori haeret:* Quint. IX 2_{26};
Pompei *Magni* voci *acerbissimae:* V D;
Pompei *acerbissimae* voci: Quint. IX 3_{29}.

Cl: servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit: Seneca Rhet. Controv. L. VII 2 (pag. 292 Mueller).

cum omnia metu tenerentur: V; *omis:* D; [2])
quamvis omnia metu tenerentur: Senec. Rhet;
populi *Romani:* V D; *populi:* Senec. Rhet. [3])

§ 67. Cl: quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae si fuit, animal unum fuit: Oceanus, me dius fidius, vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse: Quintil. VIII 6_{70}. Seneca Rhet. Suas. l. VI 5 (pag. 560 M.) [4])

quae Charybdis tam vorax? Oceanus me dius fidius ipse: Quintil. XII 10_{62}.

Charybdis, quae si fuit, animal fuit unum: Servius ad Verg. Aen. III 420.

Charybdim: V; *Caribdin:* c n t; *Charybdin:* l. Quint. VIII 6_{70}.
animal unum *fuit:* V Seneca;
fuit animal unum: c l n Quint. VIII 6_{70}; [5])
animal *fuit* unum: Servius;
fuit unum animal: cod. t Cic.

---

[1]) ex libra rii errore.

[2]) Conf. Cap. II. pag. 30.

[3]) Seneca Rhetor non ipsius Ciceronis verba laudat, sed sermonem Ciceronis imitatur. Velim conferas Suas. l. VII. 5. Quo loco Seneca: *tuis utar, Cicero verbis* „cara est cuiquam salus, quam aut dare aut eripere potest Antonius." Ad quae vide or. Phil. II. §§ 5, 60.

[4]) Seneca Rhet. Ciceronem imitans *quae Charybdis est tam vorax? Charybdim dixi; quae si fuit, animal unum fuit; vix medius fidius Oceanus tot res tamque diversas uno tempore absorbere potuisset.*

[5]) *quae si fuit animal unum:* Quintil. cod. A.

Oceanus me dius fidius: V D; Oceanus, me dius fidius *ipse:* Quint. XII 10_{62}. [1])

Cl: conchyliatis Cn. Pompei peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres: Quintil. VIII 4_{25}.

lectos stratos: V D; stratos *lectos:* Quintil.

§ 69. Cl: clavis ademit, exegit: Nonius pag. 291_{8} (449 L.)

ademit *exegit:* V D; ademit *forasque exegit:* Non.

§ 71. Cl: gustaras civilem sanguinem vel potius exsorbueras: Priscian. Gr. Lat. II 491_{17}.

gustaras civilem sanguinem: V D; sanguinem civilem *exhausit:* Priscian.

exsorbueras: V D; *exsorbuit*: Priscian.

§ 72. Cl: ego ad illum belli civilis causam attuli; ego leges perniciosas rogavi: Nonius pag. 383_{14} (612 L.)

ego leges perniciosas rogavi: D Nonius; *omis.* V.

§ 74. Cl: haerebat nebulo: quo se verteret non habebat: Nonius [2]) pag. 182_{9} (267 L.)

§ 75. Cl: ut tu Narbone mensas hospitum convomeres: Servius Gr. Lat. IV 416_{12}. [Sergii] Expl. in Don. Lib. I. Gr. Lat. IV 511_{12}. Cledonius. Gr. Lat. V. pag. 22_{13}.

tu tu . . . convomeres: V; *tu . . . cum vomeres:* c l n;

tu . . . cum convomeres: t; *cum tu . . . convomeres*: Grammatici.

§ 76. Cl: nam quod quaerebas, quo modo redissem, primum luce, non tenebris; deinde cum calceis et toga, nullis nec Gallicis nec lacerna: Iul. Rufinianus Rhet. Lat. Min. pag. 40_{5}.

prim*um* luce: V D; prim*a* luce: codd. Rufinian.

nec caligis *nec*: V D; caligis *nec*: Rufinian. [3])

---

[1]) Quintil. VIII 6_{70} locus corrupte traditur; deesse videtur *fidius.*

[2]) Nonius adfert voc. *titubare haesitare.* M. Tullius Phil. XIV *quo se verteret, nescire.* Non exstat hic locus apud Ciceronem. Rothius conf. Phil. II. § 74.

[3]) Rufinianus laudat initium, Gellius extremam partem paragraphi, id quod Clarcius aequo animo reticet. Notandum Rufinianum cum libris Cic. consentire meram corruptelam praebentibus.

Cl: cum Gallicis et lacerna cucurristi: Gellius XIII 22_6.
calligis: V; [1]) *caligis*: D; *Gallicis*: Gellius.

§ 77. Cl: at videte levitatem hominis; cum hora diei decima fere ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula atque ibi se occultans perpotavit ad vesperum; inde cisio celeriter ad urbem advectus domum venit capite involuto. Ianitor, „Quis tu?" „A Marco tabellarius." Confestim ad eam deducitur, cuius causa venerat, eique epistulam tradidit. Quam cum illa legeret flens — erat enim scripta amatorie; caput autem litterarum sibi cum illa mima posthac nihil futurum; omnem se amorem abiecisse illim atque in hanc transfudisse — cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit. O hominem nequam! Quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. Ergo, ut te Catamitum, nec opinato cum te ostendisses, praeter spem mulier aspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti: Gellius VI 11_6.

o hominem nequam . . . dicere: Gellius VI 11_5.
delituit . . . domum venit: Nonius 86_{30} (123 L.)
hominem nequam: Seneca Rhet. Suas. VI 7 (pag. 562 M.)
levitatem *hominis*: V Gellius; *levitatem*: D.
cauponula: V D Gellius; *caupona*: Nonius.
perpota*vit* ad vesper*am*: inde cisio . . . venit: V;
perpota*vit* ad vesper*um*: inde cisio . . . venit: D Gellius;
perpo*tum cisio domum venit*: Nonius. [2])
capite *ob*voluto: V; capite *in*voluto: D; *ore in*voluto: Gellius.
ianitor: V D; ianitor *rogat*: Gellius.
confestim ad eam, cuius causa venerat, eique: V;
confestim ad eam *deducitur*, cuius causa venerat, eique: D;
confestim ad eam, cuius causa venerat, *deducitur* eique: Gell.

---

[1]) Ut H. Nohl testatur. conf. Phil. Wochenschr. 1903 pag. 1102.

[2]) codd. Non. exhibent partim *perpotum cissim*, partim *perpotum scissim*. Nonius ipse ex Gellio *delevit* (sic codd. Non) . . . *domum venit* excerpsit.

epistulam *tradidit:* V D; epistulam *tradit:* Gellius.
quam *cum* illa: V D; quam illa *cum:* Gellius.
scripta *amatorie:* V Gellius; *amatorie* scripta: D. [1])
caput autem *litterarum:* V D; caput autem litterarum *hoc erat:* Gellius.
illi non: V; *illic:* c t; *illinc:* l n; *illi:* Gell.; *illim:* Lambinus.
o hominem: V D Gellius (utroque loco); *hominem:* Seneca Rhet.
quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere: V D;
nihil enim magis proprie possum dicere: Gellius (utroque loco).
nec opinato: V [2]) Gellius; *neque* opinato: D.
cum *te* ostendisses: V; cum ostendisses: D Gellius.

§ 87. Cl: non solum de die, sed etiam in diem bibere: [3]) Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 468_{31}.

in diem vivere: V D; *ad* diem vivere: Arus. Mess.

§ 98. Cl: legem, quam fixisti: Servius [4]) ad Verg. Aeneid. VI 622.

§ 99. Cl: quis interpretari potest, impudentiorne, qui in senatu, an improbior, qui in Dolabellam, an impurior, qui patre audiente, an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris: Priscian. Gr. Lat. II 93_{6}.

patruo: V; *patre:* D Priscian.

§ 101. Cl: *grandiferae:* V D [5]) Martian. Cap. Rhet. Lat. Min. 473_{13}. [6])

§ 102. Cl: ut vexillum tolleres, ut aratrum circumduceres: Schol. Cruq. ad. Hor. Od. I 16_{24}.

---

[1]) *amatorie causa scripta:* cod. Tegerns.

[2]) testatur Halm.

[3]) Cl. sequitur C. F. W. Muellerum. Codicum lectionem *(vivere)* defendit W. Hirschfelderus.

[4]) Servius non ipsius Ciceronis verba adfert; testatur autem sermonem *legem figere* adferens *legesne fixisti?*

[5]) D: *grandifacere.*

[6]) hisce verbis: *his plerumque poetice utitur, licet Tullius* grandiferas possessiones *dicat.*

tolleres *ut* . . . circumduceres*:* V;
tolleret *et* . . . circumduceret*:* Schol.;
videres *et* . . . circumduceres*:* D. [1])

Cl: cuius quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti: Nonius pag. 374_5 (595 L.)

perstrinxisti: V D; *praestrinxti:* codd. Non.

§ 104. Cl: de fortunis Varronis rem ullam esse detractam: Lact. Plac. ad Stat. Theb. II 647.

de fortunis *Varronis:* V D; de Varronis *bonis:* Lact. Plac.

§ 113. Cl: sed inter pacem et servitutem plurimum interest: Victorinus de Def. pag. 27_{15} Stangl.

Cl: pax est tranquilla libertas: Victorin. pag. 27_{14} Stangl.

Cl: pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum: Isidorus. Origg. II 29_{13}.

servitus . . . repellendum: Victorin. pag. 27_{12} Stangl.
servitus *postremum:* V D; servitus *est postremum:* Isid. Victorin.
morte *etiam* reppelen*dum:* V D Victorin.; morte *quoque* repellen*da:* Isidorus.

Oratio III.

§ 1. Cl: cum bellum nefarium contra aras et focos, contra vitam fortunasque nostras ab homine profligato ac perdito non comparari, sed geri iam viderem: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 458_{21}.

comparari sed: V D; *cogitari* sed: Arus. Mess. [2])

§ 5. Cl: cui quidem hodierno die, patres conscripti — nunc enim primum ita convenimus: Nonius pag. 271_5 (415 L.)

---

[1]) *ut:* c.

[2]) Idem omittit, ut verba amputet et *contra aras et focos* et *ab homine . . . perdito.*

§ 6. Cl: quem nihil aliud agere, nihil moliri nisi caedem civium atque interitum civitatis videret: Nonius pag. 346_9 (547 L.)

interitum civitatis videret: V D; *impetum civitates videre:* codd. Non.

§ 10. Cl: at vero huius domi inter quasilla [1]) pendebatur aurum: Servius ad Verg. Eclog. II 45. Isidor. Origg. XIX 29_3.

inter . . . aurum: Valerius Probus. Anal. Gr.[2]) pag. 220_{32}; *huius domi:* V D; *omis.:* Servius. Isidor.

pendebatur: V D; *pectebatur:* codd. Val. Prob.; *pendatur:* Servius. [3]) Isidor.

§ 14. Cl: nam si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt: Martian. Capella Rhet. Lat. Min. pag. 467_{23}, qui adfert *si ille consul fustuarium meruerit, legiones, quid, qui consulem reliquerunt?* [4])

§ 17. Cl: compellat edicto: Schol. Cruq. in Hor. Serm. II. 3_{297}: *laudat an compellat edicto.* [5])

§ 22. Cl: quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur: Conf. Quintil. IX 3_{13} *contumeliam fecit, quod a Cicerone reprehendi notum est.*

Cl: ex oratore arator: Quintil. IX 3_{72}.

§ 31. Cl: fundit apothecas, caedit greges armentorum: Servius ad Verg. Eclog. VI 55.

fudit apothecas: Servius; *om.* V D.

caedit: V D; *cecidit:* Servius.

---

[1]) *quasilla:* V t; *quas illa:* l n.

[2]) traditur solum *inter qu . . . pectebatur* (lacuna octo circiter literarum).

[3]) sic plerique libri Serv. *penditur:* cod. Serv. A. *suspenditur:* cod. Serv. R.

[4]) Est corruptela nullius momenti.

[5]) Scholiasta ex memoria Ciceronem laudat. Conf. ad Schol. or. III. § 18 *nam me isdem edictis nescit laedat an laudet.*

§ 33. Cl: quam ne serviamus animis armisque decernere: Nonius pag. 285_{36} (441 L.)

armis animisque: V; *animis armisque:* D Nonius.

Oratio IV.

§ 8. Cl: si consul Antonius, Brutus hostis; si conservator rei publicae Brutus, hostis Antonius: Quintilian. IX 3_{86}. [1]) Isidor. Origg. II 21_{11}. [2])

§ 12. Cl: incumbite in causam, Quirites: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 499_{4}.

Nonius pag. 373_{35} (595 L) citat praeterea ex libro quarto ad voc. *proiectum* verba, quae neque in hac neque in alia Phil. orat. inveniuntur. Sunt autem *quid hoc senatus consultum facit? clam te ex urbe proieceris?* [3])

Oratio V.

§ 3. Cl: nudius tertius decimus: Charisius Gr. Lat. I pag. 207_{20}.

§ 12. Cl: pecunia congesta in illam domum: Arusian. Mess. Gr. Lat. VII pag. 461_{15}.

§ 28. Cl: M. Antoni impetus nefarios ab urbe in Galliam avertit: Priscian. Gr. Lat III 277_{10}. Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 449_{18}.

M. Antoni impetus *nefarios ab urbe:* V D;

ab urbe M. Antoni impetus: Priscian. Arus.

avertit: V Arusian; *avertere:* Prician.; *vertit:* D.

---

[1]) *si conservator . . . hostis* om. aliquot libri Quint.

[2]) = Rhet Lat. Min. pag. 519_{5}.

[3]) Sic dedi ex libris Non. cum Lindsay. Alius aliud coniecit: *quid hoc senatus consultum fuit, cur clam te ex urbe proiceres:* Mercerus; Luc. Mueller. *fecit, ut:* Rothius. *qui hoc senatus consulto facto clam:* C. F. W. Mueller.

Oratio VI.

§ 7. Cl: succurrendum est D. Bruto; omnes undique copiae colligendae: Nonius pag. 273_{22} (419 L.)

copiae colligendae: V[1]); *coepere colligere:* codd. Non.

§ 15. Cl: Itane? iam[2]) Ianus medius in L. Antoni clientela est: Gellius I 16_5.

ita in eam: V; *itane:* Gellius. *sit:* V; *est:* Gellius.

Cl: quis unquam in illo Iano inventus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum: Gellius I 16_5. Macrob. Saturnal. I 5_5.

qui unquam: V_1 Macrobius; *quis* unquam: V_2 Gellius.[3])

Oratio VII.

§ 1. Cl: aberrat a sententia suspensus curis maioribus: Nonius pag. 386_{26} (617 L.)

suspensus *curis:* V D; suspensus *a curis:* Non. codd.

§ 20. Cl: sed in principe civi non est satis: Priscian. Gr. Lat. II 345_5.

Oratio VIII.

§ 2. Cl: potest enim esse bellum ut tumultus non sit, tumultus esse sine bello non potest: Isidorus. Origg. XVIII 1_7.

ut tumultus esse: V_1[4]); *sine tumultu tumultus esse:* D;[5])
ut tumultus non sit, tumultus autem esse: Isidorus.

---

[1]) D deficit ab orat. V. § 31 — or VI. § 18.

[2]) Clarcius Halmi coniecturam recepit.

[3]) Gellium et Macrobium inter se dissentire magnopere mirandum est, cum praesertim Macrobium ex Gellio hausisse constet (Conf. Mart. Hertz. Vol. II. pag. IX.)

[4]) med. omissis.

[5]) tumultus esse *autem:* cod. l.

§ 3. Cl: quid est enim aliud tumultus nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus: Quintil[1]) VII 3_{25}. Isidorus. Origg. XVIII 1_7.

quid est *enim:* V D Isid.; quid *enim* est: Quintil.

unde etiam *nomen ductum est tumultus:* V D Quintil.;[2])

unde etiam *tumultus dictus* quasi timor multus: Isid.

Cl: gravius autem tumultum esse quam bellum. Isidorus Origg. XVIII 1_7.

autem tumultum *esse:* V D; autem *esse* tumultum: Isidor.

Cl: quod bello vacationes valent, tumultu non valent: Isidorus Origg. XVIII 1_7.

quod bello *Italico:* V; *quod* bello *Gallico:* D;

nam in bello: Isidorus.

tumultu: V D; *in tumultu:* Isidorus.[3])

Oratio IX.

§ 1. Cl: sed cum Ser. Sulpicius aetate illis anteiret, sapientia omnibus: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 504_{17}.

illos ante*t*eire, sapientia omnis*bus* : V_1 (correx. m_2);

ill*is* ant*e*iret, sapientia omni*bus*: D Arus. Mess.

§ 7. Cl: Is enim profecto mortem attulit qui causa mortis fuit: Quintil. VII 3_{18}.

Oratio X.

§ 7. Cl: eos, qui regni nomen sustulerint, deserendos putatis: Nonius pag. 404_{27} (650 L.)

regni nomen: V Non.; *regis* nomen: D.

---

[1]) Idem III 8_5 est finitio apud Cic. in Phil. *quid sit tumultus*

[2]) d*i*ctum: cod. B. Quint.

[3]) Locus, qualis ab Isidore praebetur, modo ad verbum expressus, modo explicationibus auctus esse videtur. Est enim apud Isid.:

§ 18. Cl: quae, malum! est ista ratio: Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 504_{17}.

est ista ratio: V D; ista ratio *est:* Arus. Mess.[1])

Oratio XI.

§ 5. Cl: idque adfixum gestari iussit in pilo: Arus. Mess. Gr. Lat. VII 454_{14}.

*ad*fixum: V Arus. Mess.; *fixum:* D.

§ 7. Cl: ponite igitur ante oculos, patres conscripti, miseram illam quidem et flebilem speciem, sed ad incitandos nostros animos necessariam: Servius Auct. ad Verg. Aen. II 407.

igitur: V D; *itaque:* Servius.

nostros animos: V D; animos *nostros:* Servius.

§ 14. Cl: Germanum Cimber occidit: Quintil. VIII 3_{29}.

§ 24. Cl: vel in caelum vos, si fieri potuerit, umeris nostris tollemus: Nonius pag. 407_{1} (654 L.)

pot*erit:* b n t Non; pot*uerit:* cod. l;[2]) *deest V.*[3])

Oratio XII.

§ 8. Cl: excident gladii, fluent arma de manibus: Nonius pag. 300_{15}.

Cicero docet *potest enim esse bellum, ut tumultus non sit; tumultus autem esse sine bello non potest; quid est enim aliud tumultus nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam tumultus dictus quasi timor multus; gravius autem esse tumultum quam bellum; nam in bello vacationes valent, in tumultu non valent.*

[1]) Locus apud Arus. Mess. corruptus. Mance enim traditur *quae malum, ista ratio est* igitur ista ratio, cum statueras eripere, ad iniuriam eripiendi fraudem sceleris adiungere.* Initium ex Cicerone haustum esse satis constare videtur; unde cetera nescimus.

[2]) *cum aliquot codd. Non.*

[3]) ab or. XI. § 22 — or. XII. § 12.

§ 15. Cl: hos nunc omni scelere coopertos tolerabiles censes civitati fore: Arus. Mess. Gr. Lat. VII 461 $_{26}$.

co*per*tos: V; *coop*ertos: b l; *op*ertos: t; *comp*ertos: codd. Arus. Mess.

§ 16. Cl: iuventutem omnem ex tota Italia excussimus: Nonius pag. 299 $_{1}$ (463 L.)

excussimus: V Non.; *excivimus:* D.

§ 23. Cl: Etruriam discriminat Cassia: Nonius pag. 282 $_{27}$ (435 L.)

Cassia: V D; *Cassius:* codd. Non.

Oratio XIII.

§ 11. Cl: de Falerno Anseres depellantur: Servius ad Verg. Ecl. IX 36.

de Falerno: D; [1]) *ex agro* Falerno: Servius.

depell*antur*: l n_1 t Servius; depell*entur:* b n_2.

§ 12. Cl: agri Lucani possessiones occupavit: Nonius pag. 356 $_{6}$ (564 L.)

§ 24. Cl: cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres: Arus. Mess. Gr. Lat. VII 466 $_{8}$.

mentum mentemque: l Arus. Mess.; [2]) mentem *mentumque:* b n t;

deponer*es*: D; deponer*et:* Arus. Mess.

§ 36. Cl: putare aliquid moderate aut humane esse facturos: Priscian. Gr. Lat. III 70 $_{10}$.

humane *esse* factu*ros:* D; [3]) humane factu*rum:* Priscian.

§ 43. Cl: tu porro ne pios quidem, sed piissimos quaeris: conf. Pomp. Com. Gr. Lat. V 154 $_{16}$. [4])

§ 45. Cl: sin autem me aliud fatum manet: Nonius pag. 349 $_{29}$ (554 L.)

---

[1]) deficit *V* ab or. XIII. § 10

[2]) *mentum* omis cod Parrhasii.

[3]) deficit cod n ab orat. XIII § 29.

[4]) non potest dici per rerum naturam *piissimus* (Pomp.)

me aliud fatum: b o Non.; *me* aliud *aut* fatum: t; aliud fatum *me:* l.

Oratio XIV.

§ 1. Cl: sceleratissimorum hostium exercitum caesum fusumque cognovi: Nonius pag. 312_{38} (488 L.)
caesum fusumque: D; [1]) fusum *caesumque:* Nonius.

B: Componuntur loci, qui laudantur neque in his orationibus insunt. [2])

I. ex oratione XVI citat Arus. Mess. Gr. Lat. VII pag. 437_{15} *ne vestigium quidem deflexit.*

II. idem adfert ex or. XVII Gr. Lat. VII 467_{17} *non est illa dissensio disceptata bello.*

III. Accedunt Schol. Bob. ad Mil. 10 Vol. II pag. 286_{2} et Schol. Iuv. VII 199 pag. 287 Iahn, ex quibus Ciceronem *mulionem Ventidium* dixisse apparet.

Duplicem ex hisce testimoniis fructum colligere nobis videmur. Apparet enim, ni egregie fallor, plures harum orationum recensiones olim virorum doctorum in manibus fuisse (conferas e. g. quae ad orat. I. § 10, II. § 63, § 64 ad notavimus) sicut plures exstitisse Caelianae orationis librorum palimpsestorum reliquiis edocemur. [3]) Illam autem, quae una aetatem tulit (X), ex utraque familia et ex V et ex D recuperandam esse nostro iam iure statuemus.

---

[1]) deest cod. l ab orat XIV § 47

[2]) Duo fragmenta iam supra dedi: M Tullius in Philippicis lib. IV. *quid hoc senatus consultum facit? clam te ex urbe proieceris?:* Non. pag. 373_{29} M. Tullius Philippicarum lib. XIV. *titubare, haesitare, quo se verteret, nescire:* Nonius pag. 182_{8}. conf. supra pagg. 46, 52.

[3]) Quod R. Reitzenstein me monuit.

Caput III.

Iam mihi propositum est, ut de nonnullis orationum locis, quos depravatos esse aut omnes concedunt aut equidem solus puto, accuratius exponam, qua ratione arbitrer medelam posse afferri. Sed in hac parte dissertationis meae pauca praemonere mihi liceat. Equidem non ignoro eleganter conicere et emendare hominis esse et ingeniosissimi et omnis rationis disciplinaeque peritissimi. Quod si nihilo minus aliquid ponere vel statuere ausus sum, illud M. Haupti mihi in mentem venit maius esse verba scriptoris interpretari quam nescio quo casu in aliquam elegantem mutationem quasi incidere.

Iam quosdam locos tractemus!

Orat. I. § 35.

Res postulare videtur, ut totum locum, qualis in V et in D est, proponamus.

V	D
quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus nec *clarus nec unctus quisquam esse omni potestate.*	quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus nec *clarus esse quisquam potest.*

Quae in D exstant, ferri possunt; sed deese aliquid suspicari nos cogit auctoritas Vaticani. Quae cum ita sint, genuinam lectionem restituere conabimur. Atque primum quidem omnis libri praebent *clarus*, quod Clarcius in *carus* mutavit. Quam recte Clarcius fecerit, inde apparet, quod in libris *clarus* et *carus* saepissime inter se confunduntur. [1]) Praeterea *carus* paulo ante scriptum legimus „ut malis *carus* esse."

Tum in Vaticano *nec unctus* traditur. Quid in volnere lateat, alii alia suspicantur. [2]) Clarcius Weberi [3]) coniecturam non modo laudat, sed etiam in textum recipit. Qui nos monet, ut § 37 huius orationis conferamus „satis erat enim probatum illum esse populo Romano, ut est; *iucundum* amicis, in quo vincit omnis; *carum* suis, quibus est carissimus." Clarcius ipse profert [4]) orat. pr. Sulla § 62 et De Fin. I § 51, quibus locis verborum compositio *carus atque iucundus* exstat. Eandem etiam aliis Ciceronis locis inveni: pro Cluent. § 202: plurimisque mortalibus *carissimum atque iucundissimum*. pro Font. § 47: quid est praeter fratrem, quod aut *iucundum* aut *carum* esse possit? pro Sest. § 6: ut utrique eorum et *carus* maxime et *iucundus* esset. Epist. ad. Fam. I 9_{24}: velim existumes neminem cuiquam neque *cariorem* neque *iucundiorem* unquam fuisse quam te mihi. Epist. ad Fam. XIII 1_5: nihil est illo mihi nec *carius* nec *iucundius*. Adde Hor. Sat. I 5_{44}: nihil ego contulerim *iucundo* sanus amico.

Atque tot exemplis allatis haud scio an adducaris ut credas, Clarcium me adnuentem consecuturum esse. Minime, atque id ob duas causas, primum, quod omnibus illis locis, quos vel attuli vel comparavi, agitur de coniunctione et necessitate amicorum inter se, ut equidem dubitem emen-

---

[1]) or. V § 49. *clarum:* V; *carum:* Ferrarius. deest D. orat. X § 8 *carissimi:* V; *clarissimi:* deteriores.

[2]) *auctus:* Turnebus; *munitus:* P. R. Muellerus; *altus:* Ostermann; *impunitus:* Schanz; *diuturnus:* Mittelmeyer; *iucundus:* Weber.

[3]) Progr. Wimar. 1871 pag. 4.

[4]) Class. Rev. 1900 pag. 403.

dationem inde sumere, tum quod, etsi res interdum aliter se habeat,[1]) sententiarum connexione alius sensus efflagitatur. Antonius post Caesarem interfectum re vera Romae dominus, rem publicam non ad gaudium et comprobationem civium bonorum gerit, ut periculum sit, ne eadem mortis crudelitate eripiatur atque C. Caesar dictator. Id Cicero Antonium monet oratque atque obsecrat, ne nimium potestati confidat, cum vel summa potestas hominem intemperantem tueri non possit. Cicero nihil aliud dicere videtur nisi quae Brutus et Cassius ad M. Antonium dant[2]) „Tu etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis, neque quam diu vixerit Caesar, sed quam diu non regnarit, fac cogites." Talem sententiam aliquo modo in thesi exprimendam esse mihi quidem persuasum est, ut cum H. Nohlio aliisque editoribus hac reputatione facile adducar, ut coniecturam Mureti *tutus,* qua melior inveniri non potest, probem atque accipiam. Etiam altera ratione haec coniectura commendatur. Satisfacimus enim illa Mureti lectione recepta Ciceroni philosopho. Velim conferas De Fin. I § 35 „quid ex eo consecutus est laudem et caritatem, quae sunt vitae sine metu degendae *praesidia firmissima*" et ibd. § 53 „nam *diligi et carum* esse iucundum est propterea, quia *tutiorem* vitam et voluptatem pleniorem efficit." Quid? nonne haec Ciceronis verba mirum in modum cum hoc loco consentiunt?

In fine loci Vaticanus tradit *omni potestate.* Muretus humanista coniecit *omnino potest,* quam coniecturam omnes editores receperunt. Sed ad fidem pronius est suspicari *omni potestate* ut glossemate corrupto genuinam lectionem summotam esse.

His omnibus rebus expositis locum sic edendum censeam: sine quo nec beatus *nec carus nec tutus esse quisquam potest.*

---

[1]) Obstare videtur or. in Cat. IV § 11: dederitis mihi comitem ad contionem populo *carum et iucundum.*

[2]) Epist. ad. Fam. XI 3.

Orat. I. § 37.

Cicero, postquam narravit Bruto absenti ludis Apollinaribus singulares honores tributos esse, pergit hunc in modum: „equidem is sum, qui istos plausus, cum *popularibus civibus* tribuerentur, semper contempserim, idemque e. q. s.“ Sic exhibent V l n t; codd. c *a popularibus civibus*. Quam lectionem ab omnibus contra Garatonium spretam esse optimo iure nemo est qui neget. Neque enim ullo modo deesse potest, cui honores tribuantur. Sed in alio haereo. *Cum popularibus civibus tribuerentur*. Licet enim quaerere „a quo tandem?“ Ex sequentibus verbis „a *summis, mediis, infimis*, cum denique ab *universis* hoc idem fit“ adparere videtur vocem deesse. Campius aliquando proposuit [1]) *a populi parte;* equidem putaverim sic esse legendum „equidem is sum, qui istos plausus, cum popularibus civibus *a plebe* tribuerentur, semper contempserim.“

Haud scio an etiam in sequenti thesi vitium lateat. Non enim recte intellego, quid sit „cumque ei, qui ante *sequi* populi consensum volebant.“ Pro simplici *sequi* scribendum sit *consequi*.

Orat. II. § 1.

„Mihi poenarum illi plus quam *optarem* dederunt.“ Sic Clarcius ex libris edidit; Muellerus coniecturam Heumanni *optaram* a Madvigio et Eberhardo probatam in textum recepit. Sed recte Halmius monet *optarem* idem valere quod *vellem dedissent*. Exemplum Halmius non adfert; exstat tamen simillimum in orat. in. Pis. § 45 „haec semper de vobis expetivi, haec optavi, haec precatus sum; plura etiam acciderunt quam *vellem*.“

---

[1]) Fleckeis. ann. 1865 pag. 116.

Orat. II. § 19.

Cicero Antonio stultitiam et amentiam obicit (§ 18), quia, quod proprie suum sit, laudaverit, quod totum sit senatus, reprehenderit. Tum pergit „haec tu non propter audaciam dicis tam impudentur, sed *quia* (sic V c; *qui:* l n t) tantam rerum repugnantiam non *videas;* nihil profecto sapis."

Inter homines doctissimos magna est rixa, quomodo oratoris verba restituenda sint. Alii enim, quoniam in hac affirmatione coniunctivo locus non sit, corrigunt *videas* in *vides.* (Madvig., Nohl, Clarcius, Wernsdorfio auctore.) Halmius et Muellerus coniunctivum defendunt, nisi quod ita inter se dissentiunt, ut alter Heusingero praeeunte lectionibus codd. coniunctis sic edat „sed *quia*, *qui* . . . *videas* nihil profecto sapis," alter codd. l n t sequatur. Alii denique (Koch-Eberhard) verba *nihil profecto sapis* ut superflua delere malunt adnotantes.[1]),,Diese Worte stören den Zusammenhang, da im folgenden eben der Widerspruch, den Antonius nicht wahrnimmt, nachgewiesen wird." Quem sequamur? Atque primum quidem non habemus, cur thesin *nihil profecto sapis* eximamus; immo in his verbis omnis vis atque gravitas orationis inest. Neque Clarcius sequendus est; nam et *videas* certius traditum est, quam ut in voce aliquid mutandum sit, et lectione *quia* . . . *vides* recepta, cum argumenta quasi ex rebus externis sumantur, cogimur sequens enuntiatum *nihil profecto sapis* divellere, id quod parum conveniens esse putaverim. Quae cum ita sint, ferri possunt, quae et Halmius et Muellerus edidit, nisi aliud anteponendum sit. Vix opus erit id monere, quam saepe in libris nostris voces *quia* et *qui* et *cum* inter se confundantur. Quam ob rem equidem proponam, ut legatur „haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed, *cum* tantam rerum repugnatiam non *videas*, nihil profecto sapis." Exspectaremus enim *sed quia nihil sapis.* Sed cum Cicero hanc thesin argumentis firmare graviusque proferre velit,

[1]) Ed. III pag. 53.

oratio aliter formatur: pro enuntiatione secundaria sententiam primariam orator nobis praebet. Tria huius modi exempla rem exponant: Acad. Prior. II 37 „nunc de adsensione pauca dicemus, *non quo* locus sit, *sed* paulo ante *iacta sunt* fundamenta." orat. Sest. § 61 „actor rerum illarum fuit, *non quo* periculum suum non videret, *sed* in tanta rei publicae tempestate nihil sibi nisi de patriae periculis cogitandum *putabat*." Liv. X 42_{12} „ad urbem Scipioni maiore resistitur vi, *non quia* plus animi victis est, *sed* melius muri quam vallum armatos *arcent*."

Orat. II. § 50.

Antonius, postquam quaestor factus est, suo iudicio ad Caesarem se contulit. „id enim unum in terris egestatis, aeris alieni, nequitiae perditis vitae rationibus perfugium ducebas. Ibi te cum et illius largitionibus et tuis rapinis explevisses, si hoc est *explere quod statim effundas,* advolasti egens ad tribunatum."

Lacunam in his verbis statuerunt permulti editores.[1]) Sed Hirschfelderus[2]) loco ex or. pro Quinct. § 7 „si hoc est *defendere,* cupiditati alterius *obtemperare*" allato, cum oratio infinitivorum iteratione languescat cumque facile sit suspicari *est* ex sequenti *ex* corruptum esse proponit „si hoc *expleare* quod statim effundas: wenn man sich daran sättigen könnte, was man sofort wieder verschwendet," elegantur quidem, sed non apte. Ernesti coniectura *cum statim effundas* lenissima quidem est neque desunt huius modi exempla (sic pr. Quinct. § 63 „non est istud pati neque iudicio defendere *cum* auxilium a tribunis petas" vel Epist. ad Fam. XI 8_2 „si hic dilectus appellandus est, *cum* ultro se

---

[1]) Inseruerunt: *haurire* vel *devorare:* Faërn. *rapere:* Graev. *exhaurire:* Heusinger; Eberhard. *ingerere:* Schütz; *sorbere:* C. F. W. Muell. *devorare:* Halm. II (post effundas).

[2]) Ztschr. f. d. G.-W. 1871 pag. 41.

offerant omnes"), meliorem tamen sensum non praebet. Quae cum ita sint, eos sequar, qui lacunam statuerunt. Sed pro *haurire* vel *devorare* aliisque coniecturis aliud verbum intercidisse putaverim. Verisimile est enim thesin „quod statim effundas" vocem oppositam excepisse, quae propter litterarum similitudinem, ut saepe in libris intercidebat. Quam vocem *infundere* fuisse sine ulla audacia dici potest. Locus igitur sic restituendus est „si hoc est *explere*, *infundere quod* statim effundas.[1])

Orat. II. § 58.

Cicero §§ 57—59 Antoni iter per Italiam describit. Atque cum omnia flagitia enumerare nolit, singulas res commemoratione dignas notat „vehebatur in essedo tribunus plebis; lictores laureati antecedebant; inter quos aperta lectica mima portabatur, quam ex oppidis municipales homines honesti obviam necessario prodeuntes non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant; sequebatur raeda cum lenonibus, *comites nequissimi;* reiecta mater amicam impuri fili tamquam nurum sequebatur."

Sic in omnibus libris traditum est.[2]) Sed vulnus latere videtur in *comites nequissimi.* Eberhardus verba delet[3]) contra Hirschfelderum recentioresque editores. Quomodo locus interpretandus est? Halmius sic interpretatur: *comites nequissimi* als ginge voraus *lenones in raeda.* At magno meo dolore profiteor me simile exemplum apud auctorem orationis solutae non invenisse. Hirschfelderus vertit[4]) „es folgte ein Wagen von Kupplern, ein ganz lüderliches Gefolge." Intellegit igitur *comites nequissimi* exclamationem plenam in-

---

[1]) Ad sermonem conferri licet pr. Sest. § 93 „ut eorum veteres inlibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat."

[2]) Quod in Harleiano est *leonibus* prorsus absurdum est.

[3]) Nohlio adprobante.

[4]) Ztschr. f. d. G.—W. 1871 pag. 40.

dignationis. Quod num per leges grammaticas liceat, equidem dubito. Quid? nonne Ciceronis sermo quartum casum postulat? non verbis insertis perpetuitas flumenque orationis interrumpitur? Quid talis exclamatio sibi vult, cum praesertim Cicero, ut Asconii verbis utar, hoc loco non oratorio more, sed more historico dicat? Neque tamen, quod Eberhardus proposuit, probandum sit, cum verba illa glossema ad *lenonibus* non sint; certe enim glossator *comitibus nequissimis* scripsisset.

Quibus de causis facere non possum, quin maiorem lacunam statuam, quae nescio an hunc fere in modum explenda sit „sequebatur raeda cum lenonibus; comites nequissimi ⟨*in sellis; ad finem*⟩ reiecta mater e. q. s.“ Vide enim, quae Cicero de eadem re ad Attic. X. 10_5 det „Cytheridem secum lectica aperta portat, alteram uxorem; septem praeterea coniunctae lecticae amicarum, eae sunt amicorum.“

Orat. II. § 106.

Antonius multos dies in villa Varronis perbacchatus, Romam proficiscitur. Ut eum, tamquam si esset consul, salutarent, municipales ei obviam processerunt. „cum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit, ut est frequens municipium, magna sane multitudo. At iste operta lectica latus per oppidum est ut mortuus. Stulte Aquinates: sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? Qui, cum essent devii, descenderunt, ut eum, tamquam si esset consul, salutarent. Incredibile dictu, *sed cum vinus* (sic V; *et simul unũ cinus:* codd. c; *et sermulcinus:* cod. t; *simul:* cod. n) inter omnis constabat, neminem esse resalutatum e. q. s.“

Cum, quae in libris sunt, sensum non praebeant, locum desperatissimum interpretes saepissime tractaverunt. Itaque antequam ipse aliquid ponam, leviter perstringam, quae adhuc viri docti proposuerunt. Madvigius Vaticano se adiun-

gens coniecit *sed sum vicinus*, acute quidem, sed ut opinor, parum apte. Cicero prope Aquinum praedium possidebat; recte quidem; sed quid nostra interest comperire Ciceronem ibi possessiones habuisse? an ut nobis persuadeatur re vera neminem ab Antonio resalutatum esse? Quod Madvigius ipse posteriore aetate sensit correcturamque non iam probavit, ut valde mirer Nohlium et Clarcium eum secutos esse.

Alteram viam, ut locum emendarent, permulti editores instituerunt: Antonius, quamquam ab omnibus salutabatur, neminem resalutavit. Ad quae spectant, quae Ferrarius *(dictu est tamen)*, Cobetius [1]) *(sed nihilo minus)* Halmius, Eberhardus aliique *(est; verum vicinos inter omnes)*, Hirschfelderus [2]) Grutero auctore *(sed tum nimis)*, Deiterus [3]) *(est; sed factum)* coniecerunt. Fateor mihi nullam harum emendationum placere. Neque vero C. F. W. Muellerum suspicantem: [4]) *est*; *(sed) cum salutaretur ab omnibus* recte de loco iudicasse putaverim, cum correctura neque novi quicquam adferatur et verba nescio quid frigidi inferant. In tota enim narratione Antonium salutatum esse inest diciturque cumulate in antecedentibus.

Quae cum ita sint, nostram de loco sententiam proponamus! Vix credibile est Antonium, qui ab omnibus salutaretur, neminem resalutavisse. Sed nobis, quaecunque ad Antonium pertinent, credibilia fiunt, cum consideramus, quam sit insolens Antonius, quam saepe similia commiserit. Hanc sententiam equidem in circuitu verborum desidero. Iam velim adhibeas codices! quibus inter se comparatis facile adparet locum in archetypo evanidum fuisse, unde V paucas, plures litteras codicum D archetypus servavit; [5]) hos igitur libros sequamur necesse est. Atque quo saepius scripturae vestigia depingo, eo magis videtur scribendum esse „incredibile dictu *est; sed simillimum istius:* inter omnes e. q. s.“

---

[1]) Mnem. Nov. Ser. 1879, pag. 129.
[2]) Ztschr. f. d. G. W. 1871, pag. 42.
[3]) Wochenschr. f. kl. Phil. 1895, pag. 714.
[4]) Praef. Vol. II_3, pag. CIX.
[5]) Conf. supra pag. 26.

Orat. III. § 8.

Cicero de Bruto loquitur „o civem natum rei publicae, memorem sui nominis imitatoremque maiorum! neque enim Tarquinio expulso maioribus nostris tam fuit opt*ata* libertas quam est depulso Antonio retinenda nobis."

Sic omnes editores legunt et ad rem nihil desideratur. Sed in forma orationis offendi potest. In talibus enim enuntiatis, quae particulis *tam — quam* inter se coniunguntur aut quae similiter constructa sunt, Cicero enititur, ut oratio concinna fiat. Adferam exemplum. In orat. pr. Sest. § 47 legitur „nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui, alii autem tum maxime mentes sapientium ac fortium virorum, cum ex corpore excessissent, sentire ac vigere; quorum alterum fugi*endum* non esse, carere sensu, alterum etiam opt*andum*, meliore esse sensu." Ex quo exemplo similibusque efficere licet scribendum esse „tam fuit *optanda* libertas" ut iam Muretus humanista voluit.

De coniectura C. F. W. Muelleri „*iam* Antonio" longius disserere opus non erit. Cum enim Vaticanus exhibet „quam est depulso *maioribus nostris tam*" dittographia tamquam ante pedes posita est. Deinde oppositio verborum *expulso* et *repulso* deletur, cum verbum additur.

Orat. III. § 39.

Vulgo sic editur „senatui placere, uti C. Pansa A. Hirtius consules designati, cum magistratum inissent, si eis videretur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referrent, uti e[1]) re publica fideque sua videretur."

---

[1]) Clarc. ed. *a re publ.*, quod mendum typographicum puto. Similiter peccatum est or. X. § 12, pag. 6, vers. 3: *quo*cunque pro *qua*cunque.

Quod num per artem grammaticam liceat, dubito. Inserendum est haud dubie *eis*, quod ante *e re publica* facile intercidebat.

Orat. IV. § 13.

Cicero populum, ut virtutem a maioribus traditam retineat, adhortatus pergit in hunc modum „quamquam alia omnia falsa incerta sint (sic V; *quamquam alia omnia incerta sunt: D),* caduca, mobilia, virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam vi ulla labefactari potest, nunquam demoveri loco."

Quamquam corruptum esse nunc iam inter omnes constare videtur. Madvigius Kaysero auctore contra Ursinum, Garatonium alios vocem resecat, P. R. Muellerus, certe ut Vaticani auctoritatem tueatur, coniecit[1]) *nam cum alia . . . sint,* quam mutationem Halmius et C. F. W. Muellerus in textum receperunt. Contra Clarcius Madvigium sequitur atque id optimo iure. Videtur enim *quamquam* ex initio paragraphi huc irrepsisse, deinde primaria enuntiatio multo magis quadrat ad sententiam artificiose constructam.

Maiores difficultates in fine exstant. Ex loco proposito videmus in Vaticano plura verba inesse quam in D; qui libri omittunt omnes *falsa.* Quod editores verbum in textum recipiunt contra Garatonium dicentem „neque vero intelligo; quemnam locum vox *falsa* tenere possit, quam recte abesse censeo," probo, cum Cicero libenter quattuor membra componat. (Conf. Orator. § 10 „cetera nasci, occidere, fluere, labi." orat. pr. Mil. § 42 „nihil est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile aut flexibile." orat. Phil. I. § 33 „metui vero et in odio esse invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum.") Sed quod nos monent, ut legatur *falsa, incerta* equidem dissentio, quia vix intellegi potest, quid *falsus* hoc loco sonet vel significet. Qui sensus desideretur, patet ex se-

[1]) Philolog. IX. pag. 186.

quenti *altissimis defixa radicibus*, cum haec verba vocem oppositam postulent. Quid est autem oppositum? Vide, quod Tac. Ann. XIII. Cap. 19 dicit „nihil rerum mortalium tam *instabile ac fluxum* est, quam fama potentiae non sua vi nixa.“ Oppositum est igitur *instabile ac fluxus*. (Conf. etiam Sall. Cat. Cap. I. § 4 „divitiarum et formae gloria *fluxa* atque fragilis est.“ Iug. § 112 „res humanae *fluxae* et mobiles.“ Liv. XXXVIII 6. „fides *fluxa* et vana.“) Sed verbum *instabilis* apud Ciceronem nondum exstat; pro eo usitatius positum est *incertus*. Qua re amplector Rich. Muelleri[1]) mutationem „alia omnia *fluxa*, *incerta* sunt.“[2])

Orat. V. § 9.

Antonius armis et praesidiis populum et magistratus foro exclusit. „sic vero erant disposita praesidia, ut, quomodo hostium aditus urbe prohibentur, *ita castellis et operibus* ab ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari videres.“

Sic aliquando Halmius locum ex libris suis edidit. Recentiores editores Madvigium[3]) sequuntur, qui *castellis et operibus* post *prohibentur* transtulit, cum *castella et opera* ad hostium prohibitionem, non ad fori ingressionem pertinere manifestum sit. Quod apud Iuntam occupatum, postea ab Ernestio probatum, nunc uno codice Clarciano (n_2) firmatum videtur. Sed velim locum accuratius contempleris et interpreteris. Cicero populum Romanum tribunosque plebis cum hostibus comparat. Qua in comparatione orationem sic constructam exspectamus, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant. Proinde videamus! „Hostes urbe prohibentur.“ Cui respondet „populus tribunique plebis pro-

---

[1]) Philolog. IX. pag. 186.

[2]) Halmius coniecit *fallacia* a. C. F. W. Muellero Vol. II. 3. pag. CXII. probatum.

[3]) Adv. Crit. III. pag. 154.

pulsantur ab ingressione fori.“ Tum dicitur, quibus rebus hostes urbe prohibeantur, minime autem, qua re populus et magistratus. Quae cum ita sint, aut deest aliquid, aut supervacaneum est. Equidem hoc crediderim. Nam cum initium loci respicimus „sic vero erant disposita *praesidia,* apparere videtur *castellis et operibus* abundare et delendum esse. Tunc nobis postulantibus satisfit.

Orat. V. § 11.

Cicero de dissipatione pecuniae publicae loquitur. Tum pergit „quid illi immanes quaestus ferendine, *quos M. Antoni tota exhausit domus?*“

Vitium orationis apparet in *tota exhausit domus.* [1]) Ernesti sequenti thesi (§ 12 „tanta pecunia una in domo coacervata est“) vel similibus locis (orat. II. § 11 „una in domo omnes . . . nundinabantur.“) commotus coniecit *una exhausit domus.* [2]) Klotzius mutavit *sola*, Halmius monet, ut scribatur *tot una,* Muellerus locum signo corruptelae notat, [3]) Clarcius denique exemplis (pro Rosc. Am. § 118 „illa *tot* flagitia,“ de dom. § 56 „illa *tot* milia“) vulnus hunc in modum sanare conatur „quid? illi *tot* immanes quaestus ferendine, quos M. Antoni *exhausit domus?*“

Ego autem omnibus his coniecturis nihil nos proficere crediderim, cum non solum *tota domus* corruptum sit, sed etiam *exhausit* mihi quidem interpretanti gravissimas difficultates adferat. Nam quomodo editores sermonem *quaestus exhaurire* interpretantur? Quantum video omnes auctoritatem Pluygeri sequuntur, qui dicit [4]) „quaestus exhaurire“ idem significare quod „pecuniam quaestu partam dissipare.“ Idem, cum locus de dissipatione pecuniae iam supra absolvatur,

[1]) Defendit Wernsdorfius „sed *tota* habet bonum sensum, ut sit i. q. *domus per omnes partes.*“

[2]) quod etiam Schuetzius recepit.

[3]) ipse in adn. crit. *tam vorax?*

[4]) Mnem. 1862 (Vol. X. pag. 50.)

mutat: tot*a* ⟨*ex re publica*⟩ *hausit* vel: tot*o* ⟨*ex orbe terrarum*⟩ *hausit*, haud scio an iniuria, cum *exhausit* optime defendi possit exemplo ex or. in Pis. § 48 sumpto „ecce tibi alter effusa iam maxima praeda, quam *ex* fortunis publicanorum, quam *ex* agris urbibusque sociorum *exhauserat*" *quaestus* significare possit *pecunia quaestu parta*? Quis enim dicit „pecunia quaestu parta ferenda est?" Quid sit *quaestus* optime efficitur ex orat. II. § 6 „praesertim cum tu reliquias rei publicae dissipavisses, cum domi tuae turpissimo mercatu essent omnia venalia." Qui locus satis demonstrat *quaestus* eandem fere vim hoc loco habere atque *mercatus*. Quod ut credam eo magis adducor, quod nisi hac interpretatione adhibita sequens thesis „decreta falsa vendebat" non recte continuatur. Eadem haec sententia docet, quod verbum in antecendenti thesi subiectum esse debeat: non *domus*, sed *M. Antonius* subiectum est. Si adhuc recte explicaverimus, nempe *quaestus* significare *mercatum* ⟨*turpissimum*⟩ luce clarius adparebit et *tota domus* et *exhausit* foedissime corruptum esse. Quid in hoc lateat, equidem nescio, fortasse *habuit*. Res igitur in medio relinquitur; sed certum aliquid, credo, dici potest de vocibus *tota domus*. Restat enim, ut quaeramus, ubi Antonius venditarit atque respondendum erit *suae domi*. Non opus erit pluribus verbis demonstrare re vera dom*us;* dom*i*; dom*ui;* dom*o;* saepius inter se confundi. [1]) — Velim conferas deinde simillimos locos: orat. II. § 6 „cum *domi tuae* turpissimo mercatu omnia essent venalia." orat. II. § 35 „*cuius domi* est falsorum commentiorum et chirographorum officina." orat. III. § 10 „at vero *huius domi* inter quasilla pendebatur aurum." orat. III. § 30 earumque rerum omnium *domesticum mercatum* instituerit." Qui loci omnes nostram sententiam probare videntur, ut haud scio an recte ponatur „quid? illi immanes quaestus ferendine, quos M. Antonius *suae habuit domi*?"

[1]) vide solum or. II. § 11: dom*us:* V; dom*i:* lt et Arus. Gr. Lat. VII. pag. 481; dom*ui:* c; dom*u:* n. Conf. praet. C. F. W. Müller Vol. II. 3. pag. CIII. et supra pag. 41.

Orat. V. § 12.

Temporibus post Caesarem interfectum Antonius accepta pecunia foedera fecit, regna dedit, provincias liberavit. „quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut *si hoc genus pene* (sic V; *pene:* om. D) in *unum* (codd.) redigatur, non sit pecunia populo Romano defutura."

Locum, qualis in libris est, corruptum esse iam veteres humanistae et post eos permulti viderunt. Itaque alius aliud coniecit (genus *pecuniae:* Ursinus; genus *rapinae:* Kayser; *ingens fenus:* Halmius; *poenae:* Kan. [1]) Ursinum omnes recentiores editores secuti sunt, nisi quod Clarcius in adnotatione critica [2]) proponit *genus praedae*, coniecturam inde scilicet commendans, quod *praedam redigere* quasi terminus technicus sit. Sed quid *hoc genus pecuniae* vel *hoc genus praedae* significat? Equidem dubito, utrum valeat „das so erworbene Geld" vel „die so erlangte Beute" an non potius, ut ad id perveniamus vel *conciliatae* vel *coactae* adponendum sit. [3]) Sed licet ea vis in verbis insit; quid? nonne iteratio verbi *pecuniae* in spatio tam exiguo nos offendet?

Ad loci emendationem ab initio enuntiati proficiscendum est. Equidem non dubito dicere in illa thesi, quae a *si* incipit, verba *tanta pecunia* prioris sententiae aliquo modo repetenda esse. Quod non assequimur, nisi cum Halmio in *hoc genus* vulnus putamus. Halmius, ut coepi dicere, in animo habuit *ingens fenus*, equidem *hoc ingens pondus.* [4])

Tum inter omnes viros doctos constat lectionem *in unum* defendi non posse, „cum illa pecunia, ut Cicero dixit,

---

[1]) Mnem. 1881 pag. 314.

[2]) idem in The. Cl. Rev. 1900 pag 405.

[3]) ut Verr. II. § 141; Verr. III. § 223.

[4]) ad sermonem conferas Hor. Sat. II. 3_{111} „si quis ad *ingentem* frumenti semper acervum." Cicero ipse dicit orat. II. § 66: *permagnum* — pondus.

in *unum* i. e. in unam domum Antoni redacta esset."[1]) Circumspiciendum est primum, quae sit vera significatio vocis *redigere*. Ex exemplis, quaecunque contuli, apparere videtur *redigere* in tali verborum circuitu nihil aliud valere nisi „einliefern, einbringen." Qua de causa reiciendum est, quod Rich. Muellerus aliquando elegantissime coniecit[2]) „in *usum populi Romani*." Clarcii mutationem, quamquam *universus* persaepe antecedens *unus* excipit,[3]) non probo, cum mihi easdem, quas supra protuli difficultates adferat. Quae cum ita sint, nihil aliud restare videtur, nisi ut Orellium sequamur, qui proposuit *in aerarium*. Videndum tamen est, ne Cicero potius *in fiscum* vel *in publicum* scripserit, quae verba ad vestigia scripturae propius accedunt et aeque apta sunt. Velim enim conferas: Liv. IV. 15_8 „iubere itaque quaestores vendere ea bona atque *in publicum redigere*." Liv. V. 22_1 „ea sola pecunia *in publicum redigitur*." Tac. Ann. IV. 72 „ut *redigeretur* praeda *in fiscum*."

Orat. V. § 19.

Antonius, apud senatores se per fabros Ciceronis domum disturbaturum esse minitatus est. „huc nisi venirem Kal. Septembribus *etiam* fabros se missurum et domum meam disturbaturum esse dixit."

Etiam hoc loco posuerunt Halmius et Muellerus. Vaticanus exhibet vocem ante „Kal. Sept.", codd. D post „huc." Clarcius „Kal. Sept." ut glossam delet, sed ut nobis videtur, summa iniuria. Nam primum quidem Cicero diem senatus significare solet, deinde sequenti „postridie" verba postulantur. Neque tamen Halmium aut Muellerum sequar. Exstinguendum est illud importunum *etiam*, quo deleto — insiticiam autem esse vocem vel ex diversa eius collocatione

---

[1]) Ernesti.
[2]) Philolog. IX. pag. 187.
[3]) Conf. Mil. 34, 90, Sest. 27, 33, 122, 128.

apparet — omnia recte se habebunt. Confer simillimum locum or. Phil. I. § 12 „at ille audientibus vobis cum fabris se domum meam venturum esse dixit."

Ibidem. § 19.

„Ipse interea XVII *dies* de me in Tiburtino declamitavit, sitim quaerens." Sic tradunt codd. D; Vaticanus exhibet *diebus*. Utrumque dici potest; quaeritur, utra sit lectio verisimilior. *Ablative Temporis, welche statt des Accusativ zu stehen scheinen, weil die Handlung den ganzen genannten Zeitraum ausfüllt, sind noch selten in archaistischer Zeit und bei den Klassikern.* [1]) Sed inveniuntur exempla; sic De Div. I. 19 „modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam pervertimus *multis saeculis* verax fuisse id oraculum." [2]) Cum alii, tum poetae illo ablativo temporis utuntur, ut Rothsteinius ad Prop. I. 1 vers. 6 „et mihi iam *toto* furor hic non deficit *anno*" exposuit: *der Ablativus ist kräftiger und anschaulicher als der grammatisch auch mögliche Acc. sein würde, weil dieser die Zeitdauer misst, während der Abl. die Phantasie unmittelbar in das unglückliche Jahr versetzt.* Num Rothsteinius recte dicat, equidem nescio [3]) neque diudicare possum; sed nemo erit, qui neget illam explicationem maxime idoneam esse, qua adducamur, ut cum Faërno Vaticani lectionem *diebus* tueamur.

Orat. V. § 35.

Agitur de honoribus D. Bruto tribuendis „quibusnam verbis eius laudes huius ipsius temporis consequi possumus?

---

[1]) Draeg. Lat. Synt. pag. 534.

[2]) *multa saecula:* Lambinus.

[3]) Conf. in primis Prop. I. 6 vers. 7 „illa mihi tot*is* argutat noct*ibus* ignes."

Neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque desiderat; qua etiam si careat, tamen sit se ipsa contenta: quamquam in memoria gratorum civium tamquam in luce posita laetetur. Laus igitur iudici testimonique nostri tribuenda Bruto est."

Sic Vaticanus tradit,[1]) nisi quod pro *laetetur* facili errore *laetentur* exhibet; sequuntur eum recentiores editores; haeserunt in voce *quamquam* veteres,[2]) qui tamen, cum *atque* scribendum proponerent, vulnus non sanaverunt. Quo enim nexu sententiae inter se cohaererent, parum perspexerunt. Ultima enim ipsa voce *igitur* clamat se non eam, quae praecedit, continuare, sed respicere scriptorem ad verba *neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque desiderat*. Haec vera atque primaria sententia, quam statim cum loco ex oratione pro Archia § 28 conferemus „nullam enim aliam mercedem laborum periculorumque virtus desiderat praeter hanc laudis et gloriae; qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos laboribus exerceamus?" Aliter nostro loco Ciceronem, ut pote qui iam philosophiae studiis totum se dederit, iudicare nemo mirabitur. Itaque parentheseos loco quaerit, utrum misera sit, si hoc praemio careat virtus an se ipsa contenta. Hanc ubi agnoscis parenthesin,[3]) omnia fere plana sunt: . . . *desiderat; — qua etiam si careat, tamen sit se ipsa contenta; quamquam . . . laetetur. — Laus igitur* e. q. s.

De voce *quamquam* conferatur e. g. De Leg. I. § 14 „quamquam est populo necessarium." Potentialem modum

---

[1]) desunt codd. D.

[2]) Faërnus; Lambinus; Manutius.

[3]) Quid sit parenthesis, exponit Quintil. lib. VII Cap. 2 § 15 H. „etiam interiectione, qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sermonem, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breve est" Adde Rufinianum (De Schem. Lexeos § 2 = Rhet. Lat. Min. pag. 51 H) „parenthesis est, cum ordinata ac legitima sententia interrumpitur per alienam extrinsecus diversamque sententiam."

cum ea coniunctum raro invenies; sed praecedit nostro loco potentialis *sit se ipsa contenta*. Itaque omnia sana sunt, modo recte sententias interpungendo distinguas, quod me quidem iudice non fecit Clarcius.

Orat. VI. § 7.

Cicero contione a P. Apuleio trib. pleb. convocata populum Romanum, quid ipse de legatione ad M. Antonium decreta existimet, edocet. Atque postquam copiosius exposuit senatum se invito legatos ad Antonium mittendos decrevisse, pergit „quae cum ita sint, non omnino dissolutum est, quod decrevit senatus: habet atrocitatis aliquid legatio; utinam nihil haberet morae! Nam cum plerisque in rebus tarditas et procrastinatio odiosa est, tum hoc bellum indiget celeritatis. Succurrendum est D. Bruto; omnes undique copiae colligendae; horam *exhibere nullam* in tali cive liberando sine scelere *non* possumus."

Quamquam libri familiae D desunt, tamen certum aliquid constitui posse equidem contra C. F. W. Muellerum [1]) crediderim. Quod Vaticanus tradit, corruptum est. Quare iam veteres humanistae vulnus sanare conati sunt. Quantum video, in primis Budaei coniectura „horam *eximere* nullam" laudatur, quam editores recipiunt ita, ut alii cum veteribus editoribus corrigant *ullam*, alii Halmio auctore *nullam* omittant vel uncis includant, alii cum Manutio et Wernsdorfio *non* ante *possumus* deleant. Clarcius Ursino praeeunte edidit „*moram exhibere ullam* in tale cive liberando sine scelere *non* possumus."

Sed Hirschfelderus, cum enuntiatorum ordine alius sensus efflagitetur, aliam emendationis viam instituit. [2]) „Zu Ciceros Bedauern hat der Senat, obwohl der Krieg eilige Führung verlangt, sich für den Aufschub entschieden; in-

[1]) Vol. II.$_3$ pag. CXV.

[2]) Fleckeis. annal. 1871 pag. 206.

zwischen rüstet euch *(vos saga parate § 9),* ein Gedanke, der zweifach positiv ausgedrückt ist: *succurrendum est D. Bruto; copiae undique colligendae,* dann negativ „nichts darf verabsäumt werden, wo es gilt, einen solchen Bürger zu befreien." Diesen Gedanken gewinnen wir durch eine leichte Änderung der Überlieferung „*curam* exhibere nullam . . . non possumus." Non sine causa ipsius Hirschfelderi verba attuli; nam mutatio est tam elegans, ut nescio an non desint, qui primo obtutu nulla mora interposita a partibus doctissimi viri stent. Sed cum sententiarum ordinem accuratius perlustraverimus, illum argutius quam verius disseruisse apparebit. Quid? Ciceronemne, qui hoc bellum summae celeritatis indigere monere nunquam destiterit, ita pergere faciemus, ut omnem diligentiam ad arma paranda conferendam esse dicat? Nam hoc unum inesset in verbis ab Hirschfeldero datis, qui ipse dicit *curam exhibere* idem significare atque *diligentiam exhibere.* Quid? num illa coniectura cum sequentibus verbis „nos *amissos tot dies* rei gerendae queremur" congruit?

Iam velim conferas hosce locos: or. V. § 31 „verum praeterita omittamus: etiamne hanc moram, [1]) dum proficiscantur legati, dum revertantur?" or. V. § 33 „bello, inquam decertandum est idque confestim." or. V. § 53 „celeritate autem opus est;" or. VI. § 2 „nullam moram interponendam insequendi M. Antonium [2]) putavi." Quid illis locis probatur? Ciceronis verba aliter interpretanda esse atque id hunc in modum: „Legatio ad Antonium decreta re vera aliquid morae habet: at in tali cive liberando tempus perdere nefas est." Haec interpretatio mihi unice vera esse videtur, ut fieri non possit, quin Budaei mutationem quasi arripiam edamque „horam *eximere.*" Quid hoc significet, exponit optime Weissenborn ad Liv. I. Cap. 50 § 8 [quia ea res exemisset illum diem] *exemisset* von dem Hinbringen, Ausfüllen der Zeit unter

[1]) V_2 l_2 n t add. *afferemus.* delevit Halm. contra dicit Cobet.
[2]) C. F. W. Muell. coniecit M. Anton*i.*

langen Verhandlungen, sodass ein Beschluss nicht gefasst werden kann, besonders im Senate.“ [1])

Sed non omnes quaestiones ad finem perductae sunt. Restat enim illud molestum *nullam*. Alii, ut coepi dicere, vocem delent, haud scio an non tanta vi quanta Hirschfelderus opinatur, cum persaepe, praesertim in enuntiatis negativis, quae dicuntur, talia additamenta exstent; alii exspectant *ullam*. Sed videndum est, nonne *nullam* corruptum sit ex *unam*, qua voce illud *horam eximere* aptissime amplificatur optimeque inter se opponuntur *una hora* et *tot dies*.

Equidem igitur, ut, quae modo exposui, breviter comprehendam, locum sic emendandum censeam „succurrendum est D. Bruto; omnes undique copiae colligendae; *horam eximere unam* in tali civi liberando sine scelere non possumus.“

Orat. VII. § 5.

Cicero exponit, qui consulares appellandi sint. „et quidem dicuntur vel potius se ipsi dicunt consulares; quo nomine est dignus nemo, nisi qui tanti honoris *nomen* potest sustinere.“ Quam lectionem a libris traditam Halmius et Muellerus tuentur nuperque H. Nohl lectionem defendit cum dicit [2]) „*nomen sustinere* die Verpfilchtungen tragen, die ein solcher Name auferlegt.“ Ipse adfert ex Cicer. De Sen. § 10 „fuerunt ii consules, quorum mentes angustae *nomen* ipsum consulatus nec intueri nec *sustinere* potuerunt.“ Nohlius etiam confere potuit simillimum locum Pis. § 19 „consulem ego tum quaerebam, consulem inquam, non illum quidem . . . qui tueretur sed qui . . . posset tamen *sustinere titulum* consulatus.“ Vides aliquatenus explicari posse verba *nomen sustinere*.

[1]) Conf. Cic. Ep. ad Quint. Frat. II. § 3 „ibatur in eam sententiam; tum Clodius rogatus diem dicendo eximere coepit.“

[2]) Schülercommentar zu Cic. phil. Red. 1903 pag. 79.

Sed offendimus credo in iteratione vocis *nomen* tam brevi interiecto spatio, ut mutatione opus sit. Clarcius coniecturam Cobeti [1]) amplexus edidit *onus*, acute quidem, sed tamen haereo. Nam quantum video, Cicero nusquam *onus sustinere* quasi immutate dicit; ubi occurrit, orator a propria verbi significatione non recedit. Quae cum ita sint, haud scio an aliud verbum aptum sit, dico *munia*. Conferri licet orat. pro Sest. § 138 „qui autem . . . tanta *munia* atque rem publicam sustinent, hi semper habiti sunt optimatium principes." Tac. Ann. II. 35 „absente principe senatum et equites posse sua *munia sustinere*." [2])

Orat. X. § 19.

C. Pansa senatui suaserat, ut, quae fecisset M. Brutus, ea iudicio suo comprobaret et quas copias sibi ipse parasset, ei auctoritate sua confirmaret. Quam sententiam sequendam esse Cicero censet contra complures senatores dicentes se timere, quomodo ferant veterani exercitum Brutum habere. Sed Cicero primum veteranis fidem haberi posse demonstrat, tum populum Romanum, si ad veteranorum voluntatem dicta factave senatus referrentur, turpissima servitute premi monet. Quo absoluto pergit „omnis est misera servitus; sed fuerit quaedam necessaria; ecquodnam principium putatis libertatis capessend*um*?" [capessen*dae:* codd.]

Quae proposui, Clarcius edidit; sed quaeramus, num ille rectam emendandi viam intrarit. Vir doctissimus, ut cum mutationem, tum sermonem *principium capessere* probet, adfert Tac. Ann. XV. 49 „senatores contra famam sui *prin-*

[1]) Mnem. Nov. Ser. VII pag. 144.

[2]) Reitzensteinius Praeceptor quod propius ad vestigia traditae lectionis accedit, coniecit *molem* his locis collatis: orat. in Cat I. § 23 „vix feram sermones hominum, si id feceris, vix *molem* istius invidiae, si in exsilium consulis ieris, *sustinebo*," in Cat III. § 17 „non facile hanc tantam *molem* mali a vestris cervicibus depulissem." Tac. Agric. 17 „subiit *sustinuitque molem* Iulius Frontinus."

cipium tanti facinoris *capessivere.*" Non potest negari Clarcium gravi teste usum esse; sed tamen eum erravisse crediderim. Nam interest aliquid, credo, utrum dicam *principium facinoris capessere* an *principium libertatis capessere.* In illis enim verbis agendi notio in est, in his neque est neque ullo modo cogitari potest. Quod Clarcius ipse sensisse videtur, cum in adnotatione critica ad *principium* vocem significantem *(iustum* vel *aptum)* desideret. [1])

Haec sunt omnia talia, ut vix a me impetrem, ut a lectione librorum *libertatis capessendae* recedam. Atque cum sermo *libertatem capessere* optime Frag. Sall. in or. Marci tr. pl. ad. Pop. Rom. § 2 „nunc hortari modo reliquum est et ire primum via, qua *capessundam* arbitor *libertatem*" defendatur, vulnus alibi latet. Vaticanus tradit „*ecquenam*[2]) principium *putatis* libertatis capessen*dae.* D: *ecquodnam* principium e. q. s. Utrumque corruptum esse editores fere consentiunt. Wernsdorfius Graevio auctore voce *putatis* deleta, edidit *ecquodnam fuerit* e. q. s. Halmius exspectat *ecquandone,* Mommsenus *spectatis,* Muellerus denique proponit[3]) *repudiatis.*

Non meum esse puto omnes coniecturas subtilius persequi atque id eo minus, quod nemo interpretum editorumque nobis persuasit. Velim enim recipias quamlibet mutationem a me modo laudatam: tum videris omnibus verborum sententiarumque flumen si non interrumpi, at tamen non ita decurrere, ut re vera expectamus. Quis est porro, quin contendat neque concedat enuntiatum „ecquodnam e. q. s." quale ab editoribus restituitur, melius se habere ante thesin „tota Italia etc."

Sed cum opus sit periculosum et verba mutare et transponere, alia adminicula, ut vulnus sanetur, circumspicenda sunt, dico simillimos locos: orat. Phil. I. § 15 „quae malum!

[1]) Conf. praeterea Cl. Rev. 1900 pag. 207.

[2]) Re vera exhibet V e*t*quenam; D: e*t*quodnam. Quod est mendum frequens. Conf. or. pr. Reg. Deiot. § 40: e*c*quonam: editores; *et*quonam: codd. aliq.

[3]) Vol. II.$_3$ pag. CXX.

est ista voluntaria servitus? fuerit quaedam necessaria.“ orat. III. § 29 „multa, quae in libera civitate ferenda non essent, tulimus et perpessi sumus; . . . sed si illa tulimus, quae nos necessitas ferre coegit, quae vis quaedam fatalis — quae tamen ipsa non tulimus e. q. s.“ orat. VI. § 19 „fuit aliquis fatalis casus, ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit; nunc si quis erit, erit voluntarias.“ Quibus locis comparatis apparet verba *fuerit quaedam necessaria* etiam hoc loco pertinere ad Caesarem dominatumque eius. Iam Cicero pergit universum populum Romanum taeterrimum Caesaris dominatum servitutemque turpissimam tamquam a cervicibus rei publicae depulisse, principium libertatis capessendae Caesare interfecto datum esse. Quae cum ita sint, quid ad fidem pronius est quam putare hanc esse veram lectionem „ecquodnam principium ⟨*datum*⟩ putatis libertatis capessendae?“

Orat. XI. § 13.

„Hominem ridiculum, qui *se exserere* aere alieno putet posse, cum vendat aliena.“ Sic nunc editur. V tradit: *se exercere,* D: *se exire.* Quam lectionem veteriores sine mora receperunt, recentiores mutaverunt. Sic Halmius, quem Clarcius sequitur, correxit *se exserere,* Cobetius [1]) suspicatur *se expedire,* Karolus Busche [2]) *exsurgere.* Equidem assentior C. F. W. Muellero, qui sic edidit „*qui se emergere ex* aere alieno putet posse“. Nam *emergere ex* in tali sententia saepius adhibetur. Vide Interrog. in Vat. § 23 „qui in eo magistratu non modo *emerseris ex* mendicitate.“ Conf. praeterea Liv. II. 27 $_8$ „totam plebem *aere alieno demersam* esse.“

Orat. XI. § 27.

„Itaque si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, cum essent *tales*

[1]) Nnem. VII (Nov. Ser.) pag. 223.
[2]) Jahrb. für Phil. 1899 pag. 573.

virtute, auctoritate, nobilitate, *summi viri,* quorum alterius iam nobis notus esset exercitus, alterius auditus."

Sic codd. D — deest V — tradunt. Faërnus humanista adnotat „aut *summi* abundat, quod non credo, aut legendum *summa* aut pro tales *tali* aut aliud mendum subest." Halmius, cuius a partibus Hischfelderus [1]) stat, suspicatur latere *cum imperio.* Sed Clarcius ante *summi viri* pronomen demonstrativum desiderat nosque legere iubet „cum essent *tales* virtute, auctoritate, nobilitate, *ei* summi viri." Licet ille, ut mutationem commendet, adferat [2]) Lael. de Am. § 12 „vita talis fuit vel fortuna vel gloria," mea quidem sententia post *tales* nullo modo *ei* ferri potest. Quae cum ita sint Faërnum aut Halmium sequi possis, nisi nostram de loco sententiam proponendam accipere malis. Quid est enim *summus vir* ? „Mit *summus vir* ist ebenso bestimmt wie bei *bonus vir, clarus vir,* der grosse, ausgezeichnete und zugleich hochgestellte Staatsmann, der *praestans in re publica vir* bezeichnet," [3]) ut aliter dicam: *summus vir* appellandus is est, cuius nobilitas, auctoritas, virtus propria sunt. Quo perspecto equidem *summi viri* eliminandum censeam, inde scilicet ortum, quod interpolator omnia quasi una voce comprehendebat.

Orat. XIV. § 18.

Locus vulgo sic editur „tu, si ego de re publica optime sentiam, ut me vincas, ipse pessime senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri videbis, ad te improbos invitabis?"

Utrum *aut* an *num,* quod Clarcius proponit, scribendum sit, equidem non laboro; [4]) sed aliud interpretes editoresque

[1]) Wochenschr. f. klass. Phil. 1901 pag. 738
[2]) Class. Rev. 1900 pag. 407.
[3]) Conf. Seyf. ad Lael. pag. 35.
[4]) Ipse vocem delere malim.

moneam. Omnes consentiunt codicem t inter libros familiae D principem locum tenere longeque eminere. Quae est igitur causa, cur lectionem huius libri „si bonorum *ad me* concursum fieri videbis, *ad te* improbos invitabis“ Cicerone oratore digniorem spernamus?

Vita.

Natus sum Iohannes Paulus Lutz, Florenti filius, matre Emilia e gente Oberle in vico Haegen prope Trestabernas a. d. VII. Kal. Quinct. anni MDCCCLXXXII. Fidem profiteor catholicam. Litterarum primordiis ab ipso patre carissimo imbutus, puer decem annorum receptus sum in numerum discipulorum gymnasii Trestabernensis, anno post Schlettstadtensis. Anno MDCCCCI maturus renuntiatus, Argentoratum me contuli apud philosophorum ordinem nomen professurus. Post sex menses Monachium migravi indeque autumno eiusdem anni iterum hanc Musarum sedem adii.

Docuerunt me viri clarissimi Monachii: Christ, Woelfflin, Ivan Mueller, Poehlmann, Heigel, v. d. Leyen, Weymann, Drerup, Oehmichen, Furtwängler, Grauert; Argentorati: Henning, Martin, Neumann, Baeumker, Ziegler, Keil, Reitzenstein, Schwartz (nunc Gottingensis), Plasberg (nunc Rostochiensis), Thraemer, Michaelis, Bloch (nunc Rostochiensis), Bresslau, Spahn.

Quibus viris pro multis in me meritis maximam gratiam semper habebo imprimis Reitzensteinio et Keilio, quorum consiliis et auctoritate in hoc opusculo conficiendo semper uti mihi licuit.

Lc 40.442
Questiones criticae in Ciceronis or
Widener Library 005881630
3 2044 085 196 319